TRACTATVS
DE
IMPOSTVRIS ET CEREMONIIS IVDAEORVM NOSTRI TEMPORIS,

ANTEA QVIDEM ab authore Germanicè editus:

NVNC VERO IN GRATIAM Reipublicæ Christianæ Latinè redditus

A CONRADO HVSERO TIGVRINO.

BASILEAE,

PER PETRVM PERNAM.

NOBILITATE ET ERVDITIONE INSIGNI IVVENI D. IAC. PASCHARIO Lotharingo, Medicinæ candidato, amico suo obseruando, Conradus Huserus Tigurinus S.

SI omnibus retrò seculis, doctiss:me Paschari, perutilis atq; adeò necessaria fuit piorũ quorundam hominum in docendo singularis prudentia, in peccatis detegendis admirabilis solertia, & ijsdem coram omnibus producendis mira assiduitas, intrepidè arguendis vehementia diuino fulta robore, si illa, inquam, ex vsu fuêre, quantò magis huic senescenti seculo, deploratisq; hominum moribus expetenda, admittenda, conseruanda censebimus? Etenim cùm omnium scelerum & flagitiorum cohors, tum verò atq; in primis insatiabilis illa & furiosa habendi libido, quæ iura omnia diuina & humana peruertit, hominum mentes ita inuasit & occupauit, vt posthabita Euangelica doctrina, exuta pietate & charitate Christiana, omnes rem suam agant, aliena in commodum suũ dolosè conuertant, hoc vnum curãtes, vt inexhaustas diuitias, latifundia, domus magnificas, opes deniq; immensas, seu iure seu iniuria sibi comparent. Hinc suis facultatibus proximum emungi, hospitem expilari, pupillum & viduam impiè deseri. Quid? ab omnibus Christianæ necessitudinis officijs cessationem fieri? Fidem fallere, & partes suas deserere, dum lucri spes aliqua affulgeat, turpe ducit nemo. Magistratus vel quòd eodem vitio laboret, vel quòd pecunijs corrumpatur, in plurimis Christiani orbis ciuitatibus, proh dolor, obmutescit, bonæ leges silent, & tantùm non antiquantur. Quod vbi accidit nil mirum, tyrannicum illud & planè barbarum Tarquinij in omnium ore ferè versari, suauis lucri odor è re qualibet. Et certè immanissimis fœneratoribus ex sanguine et intima pauperum medulla sese nefariè saginantibus impunè omnia licent, tantùs

hirudinum numerus ab ijs ipsis, qui patrum patriæ nomine à mensæ & ollarum asseclis ornantur, miseris ciuibus præficitur, quæ non nisi plenæ cruoris cutem subditi mittunt. Hinc Iudæorum grex impurus redempta præsente pecunia scelerum immunitate crudelissimè & inhumanissimè abutitur: hinc denique omnium rerum, ordinum, statuum summa ἀταξία, quæ in antiquum illud chaos (ni Deus benignè auertat) nos tandem præcipites deuolutura est.

Hæc ita cùm se habeant, ornatissime Paschari, commodum se obtulit liber de Ceremonijs & Imposturis Iudaicis, falsò Marco Lombardo inscriptus, Germanicè à viro non indocto illo quidem & de repub. Christiana optimè merito editus, quem ego ex consilio amicorum latinè reddendum non ægrè suscepi: quippe qui opella mea quantalacunq; non indignus visus est tibi, qui eum Germanicè antea auidè legeras, hoc maximè nomine, quòd peregrinis & Teutonicæ linguæ ignaris hominibus, in quos tamen Iudæi rabiem exercent suam, emolumento fore existimares: ex quo non solùm Iudæorum fraudes, verumetiam omnes eius farinæ artes ac dolos possit Christianus lector cognoscere.

Hunc qua potuit fieri diligentia absolutum sub tuo nomine emitto, tibi dedico & consecro, cuius tamen beneuolentia & eximius in me amor magnificentius quidpiam requirebat. Sed quicquid sit, meæ gratitudinis & obseruantiæ in te sit μνημόσυνον. Enimuero perdiu optaui offerri ansam mihi aliquam, qua meum erga te animum & voluntatem testarer & aperirem: Tu verò pro insito ingenij tui candore, hilari & sereno vultu hoc munusculum crasso contextum et concinnatum filo, ab Husfero tuo accipies. Exiguum quidem esse fateor, quod tamen si ex animo dantis metiare, maximum comperias. Quòd si operam meam non minus quàm consilium tibi placuisse intellexero, stimulos ad altiora mihi additos putabo. Vale, Basileæ 2. Februarij. Anno 1575.

Elenchus

ELENCHUS OMNIUM FERE AVTHORVM, QVI RES IVDÆORVM *literis & memoria tradiderunt.*

NON sum hic persequuturus vaticinia, impulsu & afflatu diuino à Mose & Prophetis de Thalmudistis posteritati relicta, quæ sua authoritate (etiamsi ab alijs scriproribus ne gry quidem de nequitia illorum esset proditum) à commercio & & familiaritate cum ipsis contrahenda nos absterrere debeant: neque testimonia proferam noui fœderis, quod quidem à Iudæis ceu mendacium sibilis & conuicijs exploditur, dirisque omnibus deuouetur: quippe cum ex eo non obscurè colligant, quòd quasi testamento aliquo ceu filij immorigeri hæreditate cœlesti excludantur: gentes verò eius hæredes scribantur: sed blasphemijs execrationibusque suis non tantum proficient, vt è manu & potestatate Dei potentis, grauique & seuero eos persequentis iudicio elabantur. Nec tamen Historiographos quosdam Iudaicos silentio præteribo, qui de impia, perfidiosa, atque seditiosa gente grauiter conquesti sunt. A temporibus igitur Apostolorum prodidêre quidam literis Iudæorum ingenia, quorum libri etiam nunc extant, alij iniuria temporum interciderunt. Ioanus Philosophus anno à nato Christo seruatore 1064 in eo libro, qui Ecclesiasticus dicitur, exitiale Iudæorum in Christicolas odium dialogo descripsit. Alexander ex Hebræis ad Christum vocatus, historiam peruicacię bellique Iudaici, teste Iosepho, ad annum vsque millesimum trigesimum perduxit. Clemens Alexandrinus anno millesimo nonagesimo quinto contra apostatas illos, qui verum & genuinum sacrarum literarum sensum in alienum & peregrinũ detorquent (quos Thalmudistas vocamus) librum edidit, cùm alioqui de veteribus Iudæorum familijs, quarum seriem pertexuit, non malè sentiret. Idem præstitit Tertullianus

anno 200, cuius opera hodieque extant. Eodem tempore Origenes & Aphricanus fabulas, mendacia, dolos, & imposturas Hebræorum detexerunt. Eusebius Pamphilus in operibus suis sæpissimè acerbi & irreconciliabilis Iudæorum erga Christianos odij, aliorumque eorundem nefandorū facinorum meminit. Solemennus à tenebris Iudaicarum ceremoniarum in lucem Euangelij Christo duce vindicatus, in eo libro, cui nomen inditum Triphimi, rationem reddit, cur gens hæc pertinax & obstinata, tanta cum difficultate ab execrandis & detestandis erroribus, ad saniorem mentem & puriorem religionem reuocetur. Atque, vt rem breuib. complectar, omnes sancti patres & synceræ atq; orthodoxæ doctrinæ fidi præcones id maximè contenderunt, vt excæcatos Iudæos ex Aegyptiaca caligine, in quam demersi sunt, in veram lucem assererent, dogmata eorum tanquam blasphemias horrendas oppugnantes. Ex his principes fuêre Lactantius, Athanasius, Hilarius, Cyrillus Hierosolim. Episcopus, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Ambrosius, Augustinus Chrysostomus, alijq; plures, quorum opera præ manibus habentur. Sed vt nil opus sit testimonijs, cum vniuersi orbis Christiani iudicio atque calculis diræ & horrendæ Iudæorum calumniæ blasphemiæq; damnentur, non tamē quorundam doctorum virorum nomina, qui & ipsi Christo seruatori se tandem dedêre, superiorib. addere grauabor: quoniam & suam impietatē non sine summo cordis dolore detestati sunt, & Thalmudistarum artes & dolos fideliter aperuerunt: ex quibus sunt Hieronymus, Alfonsus, Ioannes, Isaac Coloniensis, alijq; complures. Rabinus Samuel cū esset à circumcisis ad filium Dei conuersus, librum Arabica lingua à se anno 1700 scriptum (qui hodie Latio donatus distrahitur) diuulgauit, in quo grauiter reprehēsis Thalmudistis, impiam ipsorum opinionē, quam de aduentu Messiæ, qui electis suis iampridem exhibitus est, mentis errore conceperunt, explodit & reijcit. Eodem nomine commendandus est Nicolaus de Lyra, qui vir in com-

commentationibus suis Hebræos firmissimis argumentis apostaseos idolatriæque conuincit, anno Christi 1315. Eandem operam præstitit Paulus Burgensis, cui quoque tenebris & caligine Auerni propemodum suffocato, sol Euangelij affulsit. Victor Carcumensis Thalmudistarum facilè princeps, sub Episcopo Coloniensi baptisma sanctum suscipiens, exagitata Iudæorum pertinacia & mentis duricie, mirificis laudibus principem suum extulit, quòd eos ex ditione sua exegisset. Anthonius Malgaritha posteaquam Wasserburgi se Christo deuouit, seriem ceremoniarum, orationum, blasphemiarum, facinorúmque Iudaicorum, Sacram linguam Augustæ docens, contexuit anno 1530. Sed ne iusto longior sim, reliquos, qui excusso iugo Sathanæ, in eodem scribendi genere versati sunt, non sum hîc enarraturus. Occurrunt enim quotidie plures, vt Iosephus Reimondus cum trib. fratribus, Christophorus Mandel Offensis, &c. qui filio Dei vnigenito salutem & redemptionem suam acceptam ferentes, aduersariorum eius impios errores acriter persecuti sunt. Quanta verò singulis his, quos in hoc recensui catalogo sit fides tribuenda, nō puto quenquam dubitare: quandoquidem damnata præputij sectione sacrosancto regenerationis lauacro à peccatorum sordibus abluti sunt. Ex grege verò Christiano Ioannes Reuchlinus, Paulus Ricius, Sebastianus Munsterus viri doctrina & pietate celeberrimi, tricis atq; apinis Rabinorum euolutis, prestigias incantationesq; eorundem in medium proferentes, fidelissimos acerrimosq; doctrinæ Euangelicæ assertores propugnatoresq; sese prestiterunt. Sed ex ijs qui Germanicè in Iudæos inuecti sunt, nullus vehementius eos insectatus est, quàm sanctæ & honorandæ memoriæ vir, Doctor Martinus Lutherus. Is caussam hanc tanta cum grauitate, vehementia, prudentia, animique contentione egit & tractauit, quanta eam quisquā agere potuisset. Cùm enim viro optimo Christo contra Sathanam erroris mendatijq; parentem, progeniemq; eius acerrimè esset pugnandū, impetus

aduerſariorum ita ſuſtinuit, ita tandē profligauit, vt Chriſto victore facilè palmam obtinuerit. Nam ea quæ poſtmodum literis conſignauit, non ſolùm ex eorum ſcriptis & ſermonibus, qui in Chriſti cognitionem venerant, hauſit, ſed ex ipſis Thalmudiſtarum libris excerpſit, ita vt ſolerter & fortiter etiam ſuo ipſos iugularit gladio. Obruitur & laceratur indignis conuitijs mendacijsque vir ſanctus, quaſi non veritatis amore & ſtudio, ſed ira odioque concitus, cum ob neſcio quam petitam pecuniæ ſummam repulſam tuliſſet, hæc ſcripſerit. Quàm falsò autem hæ & aliæ eius generis calumniæ ſpargantur, cuiuis videre eſt, vt longiore refutatione opus non ſit. Horum virorum monumentis hîc ſum annexurus, ea quæ ipſe vidi, audiui, atque expertus ſum, & quorum pars magna fui. Quibus ſi quis fidem habere dedignabitur, eum monendum cenſeo vt aliorum potius quàm ſuo periculo ſapere velit. Tanta ſanè gentis huius eſt improbitas, vt vix mente concipi, ne dum verbis explicari poſsit.

Quòd Iudæi, hoc nomine indigni, appellandi potius ſint Thalmudiſtæ.
Caput II.

IN Apocalypſi Ioannis cap. 2. inquit Dominus: Noui calumnias & blaſphemias eorum, qui ſe Iudæos dicunt, neq; ſunt: ſed ſunt ſynagoga Sathanæ. His verbis palàm fit, Iudæos qui poſt aduentum atque manifeſtationem Chriſti in cæcitate & mentis duritie perſiſtunt, Dominumque ſalutarem reſpuunt, reijciendos, & in exteriores tenebras deturbandos eſſe. Quod ſi veram nominis notationem inquirimus, diri calumniatoris titulum ipſis potius competere liquet, quàm Iudæi, quod olim honeſtiſsimum erat vocabulum, nunc abuſu redditum exoſum. Siquidem verus Iudæus is eſt, qui verum Deum agnoſcit, & confeſsione ſua celebrat. Quæ igitur poſthac in mediū afferentur, nō ad illos ſunt referenda, qui ex familia Abrahæ oriundi

à Iehu-

à Iehuda filio Iacobi ſtirpis Dauidicæ, ex quà ſaluator prodijt, authore nomen habent, neque ad eos, qui poſt lucidiſſimum Euangelij ſolem exortum & fulgentem, profligata plus quàm Babylonica impietate, facti ſunt membra Chriſti, ſed ad excæcatos, induratosque illos & ſtipites, qui per totum orbem terrarum diſperſi, errabundi paſſim ſibi ſedes & domicilia quæſierunt. Hos Dominus Sathanæ diſcipulos vocat, per quorum os omne genus putidiſſimorum mendaciorum, blaſphemiarúmque euomat & effundat, quorum opera & miniſterio ſemen antiqui draconis, cui cum ſemine mulieris bellum eſt perpetuum atrox & irreconciliabile, augeatur, promoueaturq; Atque hac ratione ipſius Chriſti teſtimonio Iudæorum nomen ipſis eſt ademptum. Deinde etiamſi à Scriptura nomen hoc ipſis detractum, in dubium tamen vocari poſſent, an ex vera Iudæorũ proſapia originem traxiſsent, qui in diuturno exilio ſuo toties ſedibus pulſi, ne indicia quidem & veſtigia familiarum & tribuum in ſuas claſſes diſtinctarum habere poſſunt. Hac ſanè adductus ratione Iſmaelitas ipſos potius dixerim, aut Edomitas, vel Aegyptios, qui itidem de patre Abrahamo gloriari poſſunt, quoniam Iſmaelis filij ipſius ſatu orti ſunt, & ceremonias Iudaicas receperunt, quod hodie factitant Sarraceni & Mahumetiſtæ. Ab interitu regni Iudaici anni elapſi ſunt 1 5 3 4 cùm ipſi partim in omnes mundi plagas diſtraherentur: partim verò in quibuſdam locis ad internecionem vſque delerentur. Non ergo fit mihi veriſimile veræ ſtirpis Abrahamicæ reliquias aliquas ſupereſſe, eosque inquilinos potius & incœſto ſemine Iſmaelitarum, Sarracenorum, aut Edomitarum natos crediderim: quoniam, vt dixi, nullis tabulis familiæ eorum in certas claſſes diſtinctæ continentur. Quòd ſi filij Abrahæ eſſent, ederent vtique opera parente digna, quæ tamen à natura & ingenio ipſorum alieniſſima ſunt.
Præterea titulo hoc eos indignos eſſe argumento eſt, quod non tantùm Leuiticam legem Moſis deſeruerunt,

ſed ab auita prorſus religione turpiter receſſerunt. Peculiare Iudæi regnum occupabant Reges ex tribu Iuda ſati ad gubernacula Reip. ſedebant. Sacra à Leuitis adminiſtrabantur, celebrabanturq; ritu patrio à Domino inſtito. Exhibito verò Meſſia ceſſarunt vmbræ, regno terreſtri euerſo, exortum eſt cœleſte & ſpirituale. Cùm igitur expugnata & capta ſint Hieroſolyma, templũ dirutum, cultus Leuiticus & ceremonialis ſublatus, ipſi partim crudeliter necati, partim in omnes mundi plagas diſcerpti, quis eò impudẽtiæ veniat, vt hos Thalmudiſtas Iehuda oriundos audeat aſſerere, præſertim cũ nihil præterea habeant, quod de lege Moſis glorientur? nam longè grauioribus ſceleribus & flagitijs ſe obſtrinxerunt, quàm ipſi Mahometiſtæ. Quòd ſi, vt affirmare non verentur, eſſent Abrahamidæ, incolerent vtique patrium ſolum & templum Domini vel ſaltem vatidicis non eſſent deſtituti, qui oracula diuina interpretarentur, & dura tempeſtate afflictos & conſternatos eorum animos conſolatione ſpiritus erigerent, quod in captiuitate Babylonica factum legimus. Sanè Eſaiæ vatis dictum in eos fœlicem nactum eſt cataſtrophen, cum quinto ſuæ prophetiæ cap. vaſtationem & euerſionem regni prædicens: Remouebo, inquit, ſepem vineę meæ (dicit Dominus) & erit ad paſcendum: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem: Ponam eam in deſolationem: non putabitur neq; fodietur, & aſcendet vepris & ſpina: nubibus quoque mandabo, ne pluant ſuper eam pluuiam. Annón muri vrbis Hieroſolymitanæ euerſi ante oculos iacent? annón ſublatum imperium & proſtratum templum? annón loco purioris & ſanioris doctrinæ:

Carduus & ſpinis ſurgens paliurus acutis,
Infelix lolium & ſteriles dominantur auenæ?

Præciſa videtur ipſis omnis ſpes veniæ, gratiæque, cùm ſe imperaturum dicit Dominus nubibus ne pluant ſuper eam. Non enim clementia & miſericordia diuina, qua in Chriſto Ieſu filio vnico nos Dominus proſequitur, ipſis

ob

ob oculos ponitur, cùm sibi satis superq; docti videantur, si mysteria Thalmudi & explicationes Schemhāphoræ capiant. Tot verò imposturis, putidissimis mēdaciis & horrendis blasphemiis libri isti scatent, vt fidē etiam humanam superare videantur. Graphicè nimirum ab Isaia depinguntur, qui contusę testę eos cōfert, cuius fragmenta idonea non sint, vt aquā, ignem vel simile aliquid contineant. His astipulatur Hoseas cap. 1. cum iussu Domini filio suo, typū Israelitici populi gerenti nomen indit Loami, id est non populus meus. non enim est, inquit, populus meus, nec ego ipsorum Deus. Falsa igitur & inanis illa gloriola concidit, qua se Abrahamo natos iactant, quibus Dominus legem, circumcisionem, & terram benedictam lacte, melleq; fluentem largiri dignatus sit. His cùm iam pridem sint priuati, Similitudinem tantùm aliquam speciemq; Iudæorum gerunt, re ipsa Sarracenis deteriores. Quo igitur, inquies, tandem nomine insigniendos, quo proprio & certo vocabulo appellandos censes? Sanè Thalmudistas, Cabalistas, Mahometistas, Sathanæ deniq; mendacij errorū quàm antesignani milites stipendiarios vocare non dubito. His enim coloribus à Matthęo 3. Ioann. 8. & à Domino 2. Apocal. depinguntur. Nominum ratio hęc est: Hebręi doctores & Rabini, sacrorum librorum vero & genuino sensu infecto atq; corrupto, peculiarem sibi librū, cui nomen est Thalmud cōmenti sunt. Quàm diras & horrendas in Christum blasphemias & contumelias is contineat, non facile est dicere. Nam veneno instar draconis turgidi, omne ibi amarulentiæ suæ virus in vnctum Domini euomunt & effundunt, atq; æmuli Alcorani & Mahumetistarum tot festorum ceremoniarumq; obseruationes introducunt, vt commentum suum ipsa lege Mosis, quam hac ratione impiè violant, longè pluris & maioris faciāt. Nomine igitur à libro in studiosos eius translato dicantur Thalmudistę, qui traditionibus Sathanæ instinctu proditis plus fidei tribuant, quàm æternæ & inuiolabili veritati Dei per Mosem, Prophetas & Apo-

ſtolos promulgatę.Pręcepta liber iſte plus minus 613 continet,ad quorum normam omnes mores & actionis dirigendas eſſe aiunt eorum,qui vitam ęternam cõſequi cupiant.Ideoque illi cenſentur optimates,qui rigidiſſimi omnium ſunt obſeruatores.Quòd ſi Iudæ Iſcarioti proditoris Chriſti ſatu ipſos ortos,eoque iure parentis nomen obtinuiſſe dicas, nil repugnauerim,à cuius ingenio, ne tantillum quidem deflexerunt, quippe qui nil niſi necem,perniciem,interitum Chriſtianorum ſpirant & procurant.

Quòd ſi penitius primam Thalmudi originem cognoſcere cupis, lege Victorem Carcumenſem & Antonium Malgaritam viros doctos,qui laqueis Sathanę liberati Chriſto ſeruatori ſe addixerunt. In hæc certè verba Antonius exclamat:Heu,inquiens,ferre ne poteſt cœtus Chriſtianus contumelias & blaſphemias inauditas,quibus Chriſtum redemptorem ſuum & ſanctos eius proſcindunt,quas etiam referre horret animus? Victor autem ex imo ducens pectore ſuſpiria: Seuerè, inquit,rigideque commenta Sathanæ obſeruant,admonitiones verò prophetarum flocci pendunt.Sed concedamus ex Iehuda Iacobi Patriarchæ filio ceu parente hoc nomen in ipſos eſſe deriuatum,pronunciatum tamen eſt, eos in omnes mundi partes diſſipatũ iri, & generationem hanc non perituram antequam ſingula,quæ Chriſtus Lucæ 21 capite fore prædixerat, ſuum finem eſſent conſecuta.

Quidam enim his verbis adducti affirmare nituntur, eos ideò inter Chriſtianos ferendos eſſe;ſed falluntur:non enim ad vniuerſum Iudæorum genus ſenſus verborum ſpectat: quin potius hinc apparet,quo nomine à Domino ſint reprobati, quòd nimirum gratiam ſingulis credentibus in Chriſto oblatam reiecerint. Reliquiæ igitur hæ tanquam fæces ſuperſunt, vt iræ & furoris diuini nobis exemplum & documentum præbeant, neque ideò cùm Iudæi ſint, aſſerendum eſt locum inter Chriſtianos habitandi ipſis concedendum eſſe. Hæc autem idcirco

in

in medium afferuntur, vt ex cordibus hominũ arrogantium falsa hæc & inanis gloria euellatur, qua elati Abrahami semine natos se iactare non verẽtur. Tantum enim abest eos Abrahamidarum nomine dignos esse, quin potius viperarũ progenies, excrementa Sathanę, Christi deniq; contumacissimi hostes, quẽ nefario scelere pro concionibus suis lacerant, sint habendi. Hisce enim splendidis & magnificis titulis à Ioanne Baptista, Matthęo, Paulo ornantur. Minuenda prętera eorũ est opinio, qui nescio qua misericordiæ specie adducti, ipsos propterea ferendos esse censent, quod cognati & propinqui fuerint Christi & Apostolorum. Nam quorsum hæc? Quòd enim Apostolus Israelitarum miseriam deplorans, sancta radice sanctos ramos esse refert: & quod alibi se erga eos propenso esse animo propter patres ipsorum testatur, quanuis secundum Euangelium hostes iudicentur, nil pro modernis Thalmudistis facit. Loquitur enim ibi de sui temporis Israelitis, quibus hoc testimoniũ perhibet, quòd zelum Dei habeant, sed non ex cognitione. His si nostri conferantur Thalmudistæ, fęces, vt verè dicam, comparabuntur vino. Ludos enim, iocosq; alteros fuisse dixeris præ horum rabie. Sed quoniã Thalmudistarum patronum agere Paulus quibusdam videtur, audiamus obsecro quid alibi dicat: Ecce (inquit ad Rom. 2.) tu cognominaris Iudęus, & acquiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti eius voluntatẽ, & internoscis quæ discrepant institutus ex lege, confidis quę te ducem esse cæcorũ, lucem eorum, qui sunt in tenebris, &c. Quî igitur doces alium, teipsum non doces? qui prædicas nil furto subducendum, ipse furatis? Qui dicis non cõmitendum adulterium, quod ipse committis. Qui abominaris idola sacrilegiũ admittis. Qui de lege gloriaris, & Deum per transgressionem dedecoras. Item, Non enim is, qui solùm in propatulo Iudęus sit, Iudęus est, nec ea solùm, quæ in propatulo fit circumcisio, circũcisio est. & alibi, Non enim omnes, qui sunt ex patre Israele, sunt Israel, sunt Iudæi, neq; quia sunt semen Abra-

hæ, ideò omnes sunt filij, hoc est, non qui filij carnis, ij filij Dei, sed qui sunt filij promissionis, numerãtur in semine. Ex his igitur manifestũ est quid de Israelitis senserit, quos fures, idololatras, adulteros, hypocritas nominat, &c.

Quòd Thalmudistæ sint scurræ, vsurarij, blasphematores, Christi deniq; hostes infensiores, quàm Mahumetistæ. Cap. III.

PSalmo 59 propter peccatum oris eorum, inquit vates, propter verbum labiorum ipsorum: & capiantur propter superbiam suam, & ob execrationem & mendacium eorum quod narrant. Consume in furore, cõsume, & non sint, &c. Quod Psalmistes sub persona Christi in exclamationem hanc contra gentem circumcisam eruperit, non est ambiguum. nam id studioso & attento lectori apparet. Si ergo mihi, alijsq; fidem habere renues, noli quæso spiritui sancto refragari, qui oracula hæc per seruum suum fudit. Quamuis enim multi hostes sint acerbissimi, qui pro semine serpentis contra benedictum mulieris semen bellum gerunt immortale, certũ tamen est Thalmudistas nullis contumacia, peruicacia & vindictæ cupiditate cedere. Nam tam immani & crudeli erga Christum odio accensi sunt, vt quicquid cruciatuum & tormentorum æternæ damnationi addictis decernitur, quotidie illi imprecentur. Improbitate certè & impietate Mahometistas longè superãt, quos pro Mahumete suo, cui diuinos honores tribuunt, vitam profundere, & simul omne genus scòmmatum & conuitiorum in Christianorum Deum iacere constat. Quem quidẽ miraculis & prodigijs, vim & numen aliquod suum declarasse non dubitant, sed vt ipsis persuadeas, eum verum atq; vnigenitum Dei filiũ peccata & scelera nostra sua morte expiasse, hoc opus, hic labor est. Thalmudistæ verò non tantũ Apostolorum scripta contemnunt & repudiant, verùm etiam libros aliquot atrocibus cõuitijs probris & maledictis re-

fertos

fertos commēti ſunt, quibus partum virginis,vitam,paſſionem, obitum, reſurrectionem, aſcenſumq; ad cœlos Chriſti,ipſam deniq; ſacroſanctam & adorandam trinitatem contumaciter lacerant & perſequuntur.Extat de natiuitate Domini libellus,quem ſua lingua *Doldum* Ieſum vocant,is tot deteſtabilibus blaſphemijs ſcatet,vt earum meminiſſe exhorreſcat animus. Notatur ibi maximè Chriſtus & intemerata virgo Maria mater eius, quam *Harriam*,aceruū ſtercoris, & *Strankilion*,id eſt nimboſam tempeſtatem appellant. Cuius rei ampliſſima & grauiſſima teſtimonia mihi perhibent Rabini,ex ſeruitute Aegyptiaca liberati,quos tantæ impietatis pudet,pigetq;. Nomen autem Ieſu honorificentiſſimum,apud Iudęos adeò malè audit,vt ne infimæ quidem ſortis homini,& ex ipſis egentiſſimo ſummo oblato auri pondere perſuadeas, vt id filio ſuo imponat. Quin etiam ſi quis iniuria aliqua aut ira commotus,contumeliæ ergo aduerſarium ſuum vocauerit Ieſum, id ita ſiniſtrè interpretantur,vt calumniatorem,tanquam eum, qui de fama proximi ſui plurimum detraxerit ad palinodiam adigant.Vocabulum autem Ieſu numerum 316 complectitur, ex quo totidem blaſphemias colligunt. Munſterus in Præfatione quadam refert hiſtoriam non indignam,quę hîc recenſeatur. Chriſtianus legentem Thalmudiſtam obſeruans, cernensq; eum quotieſcunq; vocabulum Ieſu occurreret, cum nauſea quadam & faſtidio expuere his verbis *Gemach ſchemohu veſicharu*,id eſt,nomen eius deleatur funditùs.Subolfaciens calumnias,capillis correptum & conſciſſum nebulonem ad verborum illorum interpretationem compulit. Qui tremebundus de capite & fortunis ſuis agi ratus, impunitatis fide accepta, verborum illorum ſenſum expoſuit, vocabuli *Woric*, quod eundem cum ſuperiore numerum continet, eodemque loco habetur, explicationem addens. Vocabulis his horrendas ſuas blaſphemias exprimunt, quas recenſere non eſt huius loci:nam eas fuſius deſcribit Ioan.Iſaacus ſacrę linguę

professor Coloniæ. Matutinis orationibus gratias Deo agunt, quòd se à Christianorum erroribus, quos Deum mortuum, consilij, auxiliiq; expertē colere dicunt, puros & immunes cōseruare dignatur. Ferdinando imperatori rationem explicat Christoph. Mandelius Ofensis in quadam epistola, quòd Turcarū imperatori res in Hungaria quasi ex animi voto succederēt, id hinc fieri, quòd nimiū licentię Iudęis concederetur inexhaustam vsuram per vniuersam Hungariam, Bohemiā, Marouiam, Silesiam ac Austriam exercendi. Hinc enim tanquā ex equo Troiano malorum aliorum prodire Iliada. eos siquidē in furtis, rapinis, cędibus, proditionibusq; totos esse occupatos, vtpote, qui iter Turcis in Hungariā occultum patefecerint & demonstrarint, insulamq; Cretam eidē prodiderint, & ob id scelus à senatu Venetorum illustrissimo in exilium acti sint. Hac re cognita Ferdinandus, omnes ex regno & ditione sua eijciēdos curauit: soli Pragenses Iudęi summa pecuniæ vi immunitatem sibi redemerunt. Vocabulum autem *Woric*, quod sputū significat, quia idem valet numero cum vocabulo Iesu, tanto cum fastidio proferunt, vt indignabundi expuant. Hac sanè ratione ipso Sathana contumaciores sunt, qui vocabulo hoc audito, tanto metu & horrore percellitur, vt contremiscat & exhorrescat. Nocte illa natiuitatis Christi, in qua librū Doldum Iesum per lusum, iocumq; legunt, diras has & nefastas blasphemias eructant. Deus ille Christianorū, qui ęternis mactatur & torquetur cruciatibus, maledictus sit in secula seculorū. Omitto reliqua. Monstro etiam horrēdo & ingenti erecto ter exclamantes, Iesu Iesu Iesu tantum terrorem liberis suis incutiūt, vt metu propemodū exanimati vndiquaq; euadere, & fuga sibi cōsulere nitantur. Alij crudelissimis & exquisitissimis supplicijs Christū ea nocte excruciari putantes, Deum rogāt, vt de pœna nil remittatur, dicentes: *Schemohu vesichru*, i. deleatur nomen eius. Domine Iesu vnice & dilecte fili Dei, quandiu furore isto patientiā tuā eludi patieris? Incautos infātes ad exitium & perniciē

hac

Hac ratione deducunt. Christianorum Deum, suspensum Deum, illum verò, quem vnicè desiderent, verum & promissum Mesiam vocantes. His verò argumentis verbis suis fidem faciunt. Ecce, inquiunt, sedibus nostris pulsi sumus, caremus patria, incolimus solum peregrinum: laborare isti Goim coguntur, fodere, arare, & sudore vultus sui victum sibi nobisque quærere: nos interim egregiè cuticulam curamus, genioque indulgentes, desidem & tranquillam in otio & voluptatibus vitam traducimus. Prospicite igitur & cauete vobis ne seducamini, &c. Teneros igitur animos veneno hoc pernicioso ita imbuunt inficiuntque, vt vsque ad finem vitæ suæ de odio acerbissimo, quo erga nos flagrant, ne tantillum quidem remittant. Nam vt inquit Lyricus:

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

Christum Dole vocant, id est, latronem suspensum: hinc Lutherus omni animi contentione ab eorum societate & commercio nos deterrere nititur. Dispudet referre ea quę scripsit Ioannes Romanus. Detestantur, inquit, & execrantur virginem Mariam, scortum & prostibulum eam vocantes, filiumq; eius spurium, natum adultero semine Koresch, id est, fabrilignarij: impudenter præterea ipsum ex tribu Iuda ortum negant. Errorem hunc egregiè refutauit Lutherus, demonstrans contra doctrinam Schemhamphoræ, Alma Esaiæ vij cap. significare virginem castam, integram, à nullo tactam viro. Verbis certè explicari nō potest acre illud odium, quo in nos exasperati sunt. Victor Carcumensis & Ioan. Isaacus Coloniensis firmissimis argumenris hæc & similia mendacia fallaciasq; refutauêre: disputādi cupidus penitius singula introspiciat & cognoscat. Thalmudistarum doctrinæ magistri ab ipso statim vrbis Hierosolymitanæ excidio librum plurimis nugis & inuolucris refertum in lucem emisêre, quibus id vnum agunt, tentant, & moliuntur, vt Christum capitalis alicuius flagitij reum faciant, & iure supplicio affectum

approbent. Hunc Isaacus demonstratis sophismatibus apertis rationibus explosit. Præterea varios noui fœderis locos in volumen, cui nomen inditum est Nizathon, id est victoriæ, congesſêre: quibus ad refellenda nostrorum argumenta abutuntur, proprio eos iugulaturi gladio: similes scilicet Iuliani apostatæ, Christiadas opibus suis spoliantis, eò quòd Dominus beatos pauperes esse dixerit. Cùm enim Christus matrem suam mulierem vocarit, non pudet erroneos istos spiritus, ipsam à viro contaminatam asserere. Et alibi, cùm se non ad dissoluendam, sed confirmandam & stabiliendam legem venisse dicit Dominus, reprehendũt nos quòd ab ea recesserimus. Impiè prętererea grauem illam querelam, cùm in summis angoribus cruciatibusq; derelictum se Christus à Deo queritur, eò detorquent, vt diuinitatem eius pernegent. His similibusq; monstris & portentis liberis scatet, qui in hunc tantum finem est propositus, vt amplā & copiosam ipsis materiam nobis illudendi suppeditaret. Nō enim ignari sunt, complures ex nobis in scripturis ita versatos esse, vt næuos & inuolucra hæc non ægrè dissoluant. Legi nuper historiam, quam referre nō pigebit. Christianus cum Iudæo colloquens, rogatur, num se discipulũ præceptori suo morigerum & obedientẽ pręstiturus sit? Incautè aienti, Thalmudista obijcit: Ergo cùm Deus tuus iusserit, dextræ maxillę tibi alapam infringenti offerre sinistrā, accipies hunc à me colaphum, & simul alteram malam prębebis. Iniuria hac cōmotus Christianus, quandoquidem, inquit, probè tibi in Scripturis versatus videris, versa paginā, & quid ibi dicat Christus attende: Scriptũ enim est, Quacunq; mensura alijs mensi fueritis, eadem metientur vobis. simulq; pugno nebulonem prostrauit. Sanè ex re & vsu nostro fore arbitror, si validis eiusmodi argumentis, quib. lacrymæ nebulonibus excuterentur, eorum obuiam iretur temeritati & blasphemijs. Nam cùm parentum, cognatorum, & amicorum nostrorum famæ si ab improbis inuadatur, acres nos propugnatores defensoresq; præstemus (siquidem

dem bene & liberaliter instituti fuerimus) quis pro maiestate Christi, quæ vel ipsa vita nobis charior esse debet, cùm ab improbis indignis modis laceratur, non solùm omnis generis contentiones defensionesque suscipere, verùm etiam, si opus sit, vitam ipsam profundere dubitabit?

Quod de libris his clarissimi viri D. Reuchlini fuerit iudicium non grauabor hîc scribere. In libro de diuturno Iudæorum exilio hæc verba reperio. Quandoquidem, inquit, impia hæc & scelerata cohors Iehouæ ceu mendaci & infirmo maledixit, tradita est in reprobum sensum, vt peccata peccatis, blasphemias blasphemijs continuaret. Nam simul ac verum & promissum saluatorem inuadūt, maiestatem diuinam, quæ cum patre ipsi est communis, lacerant. Christum redemptorē nostrum, cui omne genu flectendum est eorum, qui in cœlis, terra, & sub terra sunt, magum, incantatorem, sacrilegum, furca suspensum vocant: matrem eius virginem intemeratam, Harriam, id est stercoris aceruum: discipulos hæreticos: nos denique Gohim, stultos, insanos, mente captos. Sceleris huius atrocitas ex diuturna pœna, qua Dominus id persequitur, facilè colligitur. Ita verò nunc in dura peccandi consuetudine occalluerunt, vt quadā animi voluptate ex alio flagitio ad aliud effrenes ferantur. Librum Belischimodim dictum in eos conscripserunt, qui fœdissimorum porcorum hara relicta ad ouile Christi fugerūt. Charta mihi potius quàm scribendi materia deficeret: persequar tantùm præcipua. Eum igitur, qui reiecta præputij sectione regenerationis lauacro ablutus est, *Meschumad* appellant: si fœmina, *Meschumedes*, quod vocabulum impium & sceleratum apostatam notat, qui à vero cultu ad falsum & idolatricū defecit. Hunc igitur regni cœlorū exhæredem, æternis cruciatib. multatum iri aiunt, ad prȩsentiam & aspectū eius offensionē & fastidium habent, vxorem ipsius scortū, filios nothos proclamāt: vniuersam deniq; eius familiam tanq̄ cui turpiss. nota inusta sit, aspernantur, detestāturq;

Quinetiam si quis cruenta cuspide huius hominis sanguinem hauserit,ipsum gratissimum Domino opus fecisse prædicant,bene precantur illi, & monumentis facinus hoc præclarum memoriæ posteritatis commendant, his verbis *Secher Zatick librotho*: mentio huius viri in cœlestibus domibus fiat sempiterna. Interfectum his verbis exagitant,*Schem rescheim Irkaf*: id est,nebulonis huius nomẽ absumatur aboleaturque igne æterno. Malis & incommodis eorum, qui salutẽ & redemptionem suam à Christo acceptam agnoscunt,ita gaudent & delectantur,vt gestiant & exultent,& eos omni genere calamitatum conflictari exoptent his verbis, *Keri lof tu kol oi we lehoua*:sic malè perdantur hostes Dei. *Lemach schemo beschro*: obliteretur nomen & memoria illorum, omniumque nostrorum peccatorum rei sint,suppliciumq́;ferant,pereant parentes,qui eos genuerunt,educarunt,aluerunt. Graui denique & seuera Rabinorum lege demandatum est, vt eorum consuetudinem & familiaritatem qui defecerunt, fugiant,horreantq́;,&c. Ex his doctissimi viri verbis, blasphemiæ & execrationes Iudæorũ detestabiles fiunt conspicuæ.In primis autem hoc notandum est,quòd eos peccata peccatis, blasphemia blasphemijs continuare dicit. Nam qui Christo filio bellum indicit, is Patri & Spiritui sancto indixerit. Omnis siquidem qui filium honorat & obseruat,is etiã obseruat Patrem: Pater enim (vt est Ioannis xiiij)in filio colitur. Vt igitur paucis,quæ volo,proponam.cui notum est,ignominiam eam,qua afficitur filius, redundare in patrem, is facilè grauitatem & atrocitatem sceleris illius,quo se obstringunt, æstimarit. Non iniuria piorum animis multum molestiæ affert nostra negligentia & oscitantia,qui cùm Christi gloriam omni animi contentione defendere & propugnare debebamus, officium nostrum deserentes,impunè calumniatores istos horrendis conuicijs & diris execrationibus nomen ipsius profanare patimur.Pudeat tandem nos, filios huius mundi errores suos impios, quibus in exitium & perniciem deducuntur

cuntur

cuntur,vehementius tueri, quàm nos æternam & inuiolabilem veritatem Dei,de qua nemo bonus dubitauit,defendamus. Non necesse habeo,vt in refutatione horrendorum conuitiorum,quibus liber Schemhamphoras dictus refertus est,diutius immorer, cùm id negotium doctißimè prudentißimeq; à Luthero sit tractatum. Tetragrammati vocabulo Christum prodigia fecisse asserunt, maiorum scilicet suorum exemplo adducti, qui nomine Beelzebub dæmoniorum principis hoc ipsum factitasse affirmabant. Sed ipsos hæc effutire non mirum videatur, cùm in tantam impietatem prolapsi sint, vt ne si præsentißimo quidem capitis aut fortunarum periculo à conuicijs & blasphemijs deterreri possint. Psaltes 109 psalmo rogans Deum,vt maledicta & execrationes hostium suorum in salutem & benedictionem conuertat,graphicè simul ingenia & mores eorum depingit: Deus laudis meæ ne taceas, quia os impij & dolosi super me aperuerunt: locuti sunt lingua mendacij. Item 55. Leniora sunt magis quàm butyrum verba oris eorum, at prælium in corde ipsorum: leniora verba ipsorum plus quàm oleum, & ipsa sunt gladij. Præterea,36. Conspirãt ad promouendam iniquitatem:omnis doctrina illorum vana est:non addunt vt faciant bonum, sed malo & iniquitati firmiter insistunt. neq; nequitiæ eos pudet.& 45. Os illorum hypocriticum est,palatum ceu sepulchrũ fœtorem exhalans,linguæ eorum sunt gladij ancipites. Paulus Rom.3. Venenum aspidum sub labijs eorum,os ipsorũ diris & amarulentia plenum est: veloces illorum pedes sunt ad effundendum sanguinem: contritio & calamitas in vijs ipsorum,& viam pacis non cognouerunt:non est timor Dei coram oculis eorum. Rursus igitur illum,qui fidem verbis meis negabit, monendum censeo,ne Spiritui sancto repugnet. Caueamus ergo,ne excusationibus suis nobis fucum faciant. Ieremias enim testatur, etiamsi teste Iehoua adhibito aliquid deierent,non tamen ipsis fidem tribuendam: familiare enim ipsis esse, impuro mendacio & periurio falle-

re.Hoc certè teſtimonio prouerbium Germanis vulgare, quo decipi dicuntur omnes qui arioli,aruſpicis, & Thalmudiſtæ iuramentis credant,videtur comprobari.Perpendamus nunc quo ſint erga nos animo. Vocant nos Gohim,id eſt,homines ab omni pietate,honeſtate,& religione relictos: ad cœlum contrà ſe ſuosq; efferunt, quòd à Domino electi ſint in gentem ſanctam, cui legẽ, prophetas,& terram benedictam largitus ſit. Neq; ab hoc mentis errore Moſes ipſe, aut Helias, ſi à ſuperis reuocare gradum liceret,ipſos abduceret.Non autem impunè ingratitudinem ſuam ferre debent, qui magiſtratum Chriſtianum oderunt,cui & peſtem exoptant,cùm tamen eius beneficio communi foro,tribunali & hoſpitio vtantur. Exclamemus verò cũ ſancto vate. Adiuua nos Iehoua Deus noſter,ſerua nos ſecundum miſericordiam tuam:maledicant iſti,tu benedicas:inſurgant,& pudore afficiantur,ſerui autem tui lætentur. & vt Pſalmo habetur 120. Iehoua eripe animam noſtram à labio mendaci,à lingua doloſa. Quid dabit tibi, & quid apponet tibi lingua doloſa? Eſt inſtar ſagittæ potentis acutæ cum carbonibus iuniperorum,&c. Item,64. Abſconde nos Deus à ſecreto malignorum,à congregatione operantium iniquitatem,qui acuerunt vt gladium linguam ſuam. Singulos igitur verbi diuini fidos & vigilantes præcones monitos volo, vt quantum in ipſis ſitum eſt, blaſphemias iſtas horrendas impedire velint.Violantur enim hac ratione non tantùm diuina ſed etiam humana iura,cùm eos,quos precibus ſuis commendare domino debebant conuitijs inſectantur, & blaſphemijs proſcindunt. Venientem domum ſuam Chriſtianum his excipiunt verbis,*Schet wilkom*,id eſt,in nomine Diaboli huc ingrediaris. Beneficia,quæ in noſtros conferunt,ex metu potius & timore quàm beneuolẽtia proficiſcuntur. Doctor Ludouicus Hebræorum doctrinæ magiſter his impulſus cauſis à circumciſis ad electos Chriſti deceſſionem fecit, peruerti iura naturæ à Thalmudi-

ſtis

ſtis cernens,cùm illis malè precantur, à quibus nulla non beneficia accipiunt. Iſaacus Colonienſis matrem ſuam eo nomine a Rabinis ſynagoga eiectam teſtatur,ne execrationes,quibus filium propter apoſtaſin, quam vocant, deuouebant, audiret. Burgenſius & Nicolaus de Lyra execrationes illas fusè exponunt. Non loquor incognita, ſed ea quæ ipſe legi, vidi, & expertus ſum profero. Sub ſpecie amicitiæ nos fallunt,nihil non miſeriarum & calamitatum nobis imprecantur, pecuniam noſtram vſura ad ſe trahunt,adulterinos nummos pro bonis exponunt, teſtamenta ſupponunt, omni denique ratione nos defraudant. In aula Bauariæ Ducis medicum agebat Iudæus nomine Hirſch, qui ſatis celebre nomen ſua arte ſibi comparauerat. vocatus aliquando ad nobilem fœminam grauiter decumbentem, quis pharmacopœus medicamenta ſuppeditaturus eſſet ſciſcitans, ſigillum heræ popoſcit, vt de fide ſua hinc pharmacopolæ conſtaret, qui pretioſum pharmacum paraturus eſſet. Eo accepto, falſos codicillos duobus adiunctis teſtibus nomine fœminæ illius conſcripſit, quibus ſe Iudæo tanquam creditori obligaret, quòd magnam pecuniæ ſummam vtendam acceperit, quæ breui reſtituenda ſit. Poſt obitum igitur dominæ hæredes magna ſumma pecuniæ fraudantur: nam adulterinis codicillis ſigilli interceſſu fides habita eſt. Res ſic palàm fit. Ex falſis teſtibus alter, impunitate ſceleris adepta, neſcio qua iniuria commotus, principi iam pridem tale aliquid ſuſpicanti rem totam, vti acta erat, aperit. Fraudator damnatur capitis: accuſator, illi truncato primùm manibus, gulam denique laqueo frangere cogitur: hoc enim iuſtiſsimum talium impudentiſſimorum nebulonum erat ſupplicium. Alius, quidã hoc longè deterior Pragæ in Bohemia egit,cui cùm ſingulis eius regionis furibus prædatoribusque hoc intercesſit commercium, vt quæcunque ſubducerent, ſibi ſcelerum diſſimulatori redimenda offerrent. Is ſacerdotũ animos blanditijs ſuis ita ſibi conciliare nouerat,vt omni-

bus v teretur familiarissimis, interdumq; conuiuaretur, egregiè sceleris perpetrandi captans occasionem. Cùm enim mero incalescerent, per ambages quasdam, quos thesauros quæq; prætiosa haberent singula templa exquirens, clauib. per fraudem potitur: quibus adulteratis, portisq; adapertis per sacrilegij ministros ingentē breui temporis spatio auri & argenti numerū sibi comparauit. Paucis enim diebus plurimis parœcijs bona sua tanta cum solertia subtracta sunt, portis quippe nec effractis, nec immutatis claustris, vt fur nulla ratione deprehendi posset. Facinus sic comparuit. Ecclesiæ passim se spoliari sentientes, occultis vigilijs cōstitutis, quæ diligentissimè templa obseruarent, mali authores, qui iam in nequitia callū obduxerant, deprehendunt. tormentis sacrilegij confessio expressa est. demonstratur sceleris caput: omnes deniq; capitis damnantur, suspendioq; vitam finiunt, & Iudæo medius summusque locus ceu luci tribuitur. Hæc similiaq; facinora religioni haberent gentiles, quæ Iudæi pulchra & gloriosa ducunt. Burgentio viro doctissimo, quē Christus in tenebris Aegyptiacis palpitantem ad Euangelij lucem vocauit, homine indignum videbatur, eum cuius beneficio tectis & hospitijs vteris, execrari, & Sathanæ deuouere: atq; hinc Thalmudistas à Domino reprobatos colligit. Nā si veri Iudæi, hoc est, à Domino electi essent, maiorum suorum exemplo precibus suis nos apud Deum iuuarent. Quoniam verò cultum se Deo præstare arbitrantur, si diris deuotionibus nos persequantur, non ineptē mihi concludere videor, ipsos à Domino esse exhæreditatos.

Ludouicus Patauiensis ingentem Iudaicorum librorum cumulum in Italia combustum fuisse mihi significauit, in quibus horrendæ illæ execrationes continebantur.

Accedo nunc ad diem festorum descriptionem. Festum diem primum nono Iulij lugubrem agunt, nudis pedibus terræ insistentes, & canentes threnos aliquot ex Ieremia depromptos. Quibus peractis detestabilibus blasphemijs

phemijs& execrationibus Reges, Principes & Imperatores prosequuntur, maximè vero Titum Vespasianum, qui capta Hierosolyma muros & templum diruit, & Iudæos in omnes mundi partes distraxit. Secundum Augusti mensis primo die, qui Lunæ dicitur, celebrant, tubis triginta continuis diebus canentes, persuasi ea ratione inferorum potestates terreri. Hoc finito *Reschaschomi*, id est, nouum annum ordiuntur, Deum eo die pro tribunali sedere putantes. Albis cucullis se induunt, pedibus nudis incedunt, ad meridiem vsque preces suas continuant. Prosperum & fœlicem quisque proximo suo annum his verbis precatur: *Tikoseph Beligosem Ieschana Dosa*, id est, eorum albo ascribaris, qui hunc fęliciter transacturi sunt annum. Nos quos cane peius & angue oderunt, in eorum numero haberi cupiunt & exoptāt, qui fluctibus & procellis aduersæ tempestatis hoc anno iactandi sint. Sacris ritè peractis, læti & omnes domū redeunt, prandioq; magnifico sumpto, ad fluuium aliquem procedunt, & puluerem vestium ibi excutientes, peccata sua se abijcere putant. Ad Synagogam deinde redeunt, peccatis se exutos gloriantes, quibus Rabinus *Boruchtia*, inquit, id est, benedicti sitis. Cantu postea ad horæ spatium continuato, gratijsque ob perculsum & fugatum Sathanam actis, concio dimittitur. Proximos autem dies nouem precibus transigunt, vltimumq; his ceremonijs finiūt. Gallum gallinaceum vnusquisq; mactat, ter caput eius feriens, vt peccatorum suorum onus ferat. Si quis rei familiaris tenuitate gallo destituatur, obuium quemq; Christianum diris deuouet, & peccatorum suorum supplicium illi imprecatur. Hunc festus sanctissimus & celeberrimus sequitur, quem *Iomhapkiporim*, id est diem remissionis peccatorum vocant, albis vestibus ornati, nudis pedibus, & ieiuni istum celebrant. Cereorum tantus numerus accenditur, vt calore æstuans ego, qui his Interfui festis, ferè in animi deliquiū inciderim. Sole occidente domum repetunt, oculis in cœlum & astra conuersis, saltuque

triplici ſublato, quantum,inquiunt, à vobis diſtamus lucidiſſima ſydera, tantum à uobis diſtent Chriſtiani. Diuerſi deinde in ſua abeunt, lętam & hilarem eam ſumentes noctem. Decimoquinto die menſis eiuſdem feſtum tabernaculorum *Sucos* dictum celebrant,in memoriam Iſraelitici populi,qui ex captiuitate Babylonica liberatus 40 annis ſub tabernaculis degit. Vigeſimo quinto feſtum *Nanaka* agunt,diebus octo cereis vtentes. Hunc in honore habent propter Iudam Machabęum patriam fortiter armis defendentem. Decimo nono Februarij memoriam hiſtoriæ *Ahaſueri* & *Heſdræ* genio indulgentes celebrant. Feſtum Paſchatis octiduum incipiunt 15 Martij tot execrationibus nos tum perſequũtur, vt ſit mihi religioni eas proferre. Feſtum *Schabuos* 6 Maij agunt,vt in memoria conſeruent diem illum, quo Dominus legem per Moſem in monte Sina promulgauit. Nouilunij feſtum *Rhoſthodiſth* vocant. Sabathum his ritibus obſeruant. A tactu pecunię abſtinẽt,rapti nil redimunt,cibis veſcuntur ſuperioribus diebus paratis,à coitu ſe continent,menſam toto die inſtructam habent,caput vnum aut alterum ex ſacris legunt,tandem omnis generis execrationes blaphemiasq; in nos euomunt. Hæc de feſtis. Quòd ſi præfecto aut officiali munus aliquod offerunt, temperare ſibi à conuitijs nequeunt, nam ſub amicitiæ ſpecie clàm illi malè precantur. Malè profectò cum ijs agitur,quibus cum Iudæo tempore anni incipientis litigandum eſt. Auaros enim iudices muneribus ſtrenæ loco oblatis corrumpunt,& eorum animos in aduerſariorum ſuorum odium ita concitant, vt deinde facilè cauſam obtineant. Quidam carnium diſtrahendarum facultatem habent, & quoniam poſteriora animalium abominantur, quæcunq; in vſum ſuum conferre nequeunt,nobis vendunt, ſic tamen vt ea prius vrina, ſtercore perungant,atque vt in exitium & perniciem noſtram cedant,vnicè optent. Chriſtiano obuio clàm his verbis malè precantur, *Zu capora miſe mephu mah*,hoc eſt,peccata mea morte inopinata &

ta & repentina expiare cogaris. Damneris in æternum, &c. Quòd si cum aliquo ex nostris ex eodem cantharo ceruisiam hauriunt, saturi, bibere se simulantes, sputum ex ore demittunt, quod deinde socio ebibendum sit: hęc amicitiæ eorum sunt officia, &c. Sed quid opus est verbis? Deteriore nos loco habent, & acerbiore odio prosequuntur, quàm Turcas, quippe qui ritibus quibusdam cum ipsis communicant, carne suilla abstinent, circumcisionem obseruant. & sacrosanctam Trinitatem horrendis blasphemijs profanant. Turcę etiam beneuolentiores Iudęis existũt, quàm nobis: nam illis opibus & honoribus suis sine fraude fruendi passim in Imperio suo potestatem faciunt. Amoris aliquem affectum conciliat cognatio: nam Iudæi Isaaco, Turcæ Ismaele, Abrahami filijs se satos gloriantur. Turcarum autem opera, patria sua potiri posse se sperant. Affirmant quippe Rabini, quandiu penes nos summa sit imperij, fieri non posse, vt liberentur. Quin sibi persuadent Rubenitas & Gaditas tantùm hanc terram incolere, reliquos cis montes Caspios regnum obtinere, & autonomia frui. Tum autem præsentissimam instare liberationem, de qua minus, quàm de venturo Messia dubitent, isti sedes suas ad se transferant, & iunctis viribus, copijsq́ue eruptionem faciant.

Fouemus igitur Thalmudistas tanquam serpentem in sinu: siquidem neque Cypro, neque Hungaria potiti fuissent Turcæ, nisi itinera & loci situs Iudæi ipsis patefecissent. Mentis nostræ torporem non satis deplorare valeo, qui nil animaduertimus in quem vsum innumeræ pecuniæ, quas corradunt, conferantur, cùm neque magnifica extruant ædificia, neque agros coemant. Vereor, quod tamen malum auertat Deus, eas in perniciem & exitium nostrum conuerti. Cùm ergo, inquies, ad repetendam patriam semper aspirent, cur non iter proximum per Italiam suscipiunt? Sanè si hoc, bona Senatus amplissimi Venetorum pace & venia facere possent,

summi beneficij loco haberent. Nam quoniam vberrimus quæstus ex regione illa per negotiationes ad Venetorum Rempublicam redit, facultas hæc ipsis præciditur. Priuati autem nonnulli circumforaneorum more Germaniam, Italiam, Græciamque peragrant, locorum situs, Rerumque publicarum status explorantes, quæ singula Turcarum imperatori referunt. Sed his cohibeant eos quorum interest, ego qui nil præterea possum monitione hac officio meo satisfactum cupio. Speciem quidem aliquam bonorum præ se ferunt, cùm ciues scribuntur, cùm se ex benedicta terra oriundos insolenter gloriantur, & eius recipiendæ spe se efferunt: Legem enim sanxerunt Rabini, nisi quis viuus ea potiri possit, vt post obitum se eò transferendum nepotibus mandet, siquidem æterni gaudij velit fieri particeps. Hac impulsi causa Russiam & Littoauiam communiter petunt, vt faciliorem inde in patriam suam habeant aditum, complures simpliciores ex nostris seducentes, quos ad abnegationem Christi, & suscipiendam circumcisionem impellunt. Testatur hoc Lutherus, & exempla ego vidi miserrima. Apostoli igitur monitu quisque sibi sapiat, caueatque: qui ad Titum scribens, multos esse, ait, seductores, maximè verò eos, qui sunt ex circumcisione, quibus os sit obturandum: quia totas domos subuertant, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia. Redarguantur, inquit, paulò pòst, præcisè vt sani sint in fide, ne animum ad Iudaicas fabulas aduertant, & ad mandata hominum aduersantium veritatem.

Caput IIII.

DEmonstratur, circumcisos illos vsurarios non solùm horrendo & immani fœnore opibus suis Christicolas fraudare & emungere, verùm etiam nummis, gemmis, mercibusque alijs adulteratis quosuis in fraudem & detrimentum adducere. Oraculum scilicet Ezechiæ irri-

tum,

tum facere nolunt,qui 22 cap. reprehendens Iudæos:Vsuram,inquit, & superabundantiam accepisti, fraudasti proximos tuos per oppressionem, & mei oblitus es,dixit D. Iehoua. Pœnam huic sceleri Dominus per Micheam cõstituit: Nunquid,inquiens,non effundam iram meam in eos,qui domos suas malè partis opibus replent? numquid relinquam pondus iniustum impijs? Quis verba & vaticinia hæc ad modernorum Hebręorum carpendam malitiã referri posse negabit? cum tot fraudibus dolisq; miseros Christianos circumueniant, vt hi,quibus cum ipsis res fuit,iacturam suam non sine lachrymis & lamentatione lugeant & deplorẽt.Hi ergo fœneratores illi sint, de quibus Exodi 22. Leuit.25. Deut.23. Psal.15.Ezech.18.capitibus scriptum est, quod de lege Domini intoleranter glorientur,memoriam autẽ eius iniquissimo fœnore deleant.Non ignoro quibus verbis improbitatem suam excusantes fucum nobis faciant.Sed quoniam tanta contumacia & stoliditas est omnium eorum, quorum mentes huic sese deuinxerunt sceleri, vt moneri & doceri nolint, labore tantam taxandi improbitatem, falsamq; opinionem refutandi supersedebo, qui operam & oleum,vt dicitur,in ijs monendis essem perditurus.Nam ex nostris etiam complures pecuniam suam in quæstum & fœnerationem hanc sordidissimam conferunt, æquum esse putantes, copiam Thalmudistis nobiscum conuersandi, ideò faciẽdam, quòd ipsorum ope & auxilio,mercatores, corruptam & perditam rem suam auctiorem facere possint. Solet enim seculum hoc vitijs virtutum nomina imponere. Quid si verò probauero eorum commercio viros nobiles,mercatores opulẽtos,locupletesq; ciues perdi,& bonorum suorum iacturam facere? Anno 1531 Thalmudistis in Imperio Romano negotiationibus cõtractionibusq; interdictum, & graui lege iussum & mandatum est,vt aliorum exemplo labore suo victum sibi compararent. Constabat enim eos fucorum more fauos apum excedere, & diutius ex sudore & sanguine miserorum ho-

minum sibi constare. Pudet certè eos qui artibus his suis opibus sunt spoliàti, imposturas & fallacias has proferre, ideoque fit vt rarò eliminentur. Non loquor incognita, vidi ipsi mercatores opulentissimos machinis Hebræorum ad summam egestatem & inopiam ex affluenti diuitiarum copia delapsos. In promptu exempla sunt, quæ in medium afferre temporis me prohibet angustia. Vnum aut alterum proposuisse sufficiat. Thalmudista quidam, cui nomen erat Iosepho, tantum auri & argenti pondus corraserat, vt magnifico luxu, sumptibusque faciendis viris nobilitate & diuitijs pollentissimis respondere posset, quippe qui priuilegio ornatus erat, & cum locupletissimis mercatoribus, generosisque & potentibus Comitibus rem habebat. Nobilem is virum atque diuitem technis & fallacijs suis sic emunxit, vt solum mutare, omnemque rem suam deserere coactus sit, quam deinceps Thalmudista impius pro nutu & arbitrio suo inuisit & diripuit. Periculum igitur vnusquisq; ex alijs faciat, sibi quod ex vsu sit. Nonnulli ex nobis hoc nobili cautiores, acerbissimi cùm sint vsurarij, horum scelerum acres patroni, pecunias Thalmudistis subministrant, quas suo nomine fœnerentur. Hos ἀθεοὺς ab omni pietate & religione alienos, appellare non vereor, quoniam miseros fratres horrendis modis excruciare & expilare non dubitant. Digni certè qui supplicio graui coerceantur, &c. Bohemus quidam vir nobilis & locuples 3000 florenos Iudæo fœnori exposuit, quos cum constituto tempore repeteret, perfidè pecuniam se accepisse negat Hebræus. Lis & controuersia hæc ad Cæs. maiestat. defertur. Ego in nobilem fortè fortuna incidens, quid hoc rei, quæue causa agenda esset, rogaui. Is mœstus omnem mihi rem enarrat, se nimirum pecuniam nullis præsentibus testibus, nullo accepto chirographo, quod fidem rei faceret, Iudæi fidei commisisse. Omnis deinde consilij, auxilijque expertem se esse questus, fidem, operamque meam implorat. Offi-

cium meum, ſtudiumque homini polliceor, moneoque vt iureiurando fidem Iudæi aſtringendi veniam & facultatem ab Imperatore mihi impetret. Rei tandem pro arbitrio peragendæ fit mihi poteſtas. Acceptis igitur à ſecretarijs literis, quæ hanc mihi ab Imperatore delatam poteſtatem ſignificarent, cum magno Cæſareanorum ſtipatorum comitatu Sabbatho Iudæorum Synagogam ingredior. Prolatis igitur biblijs, & vigintiquinque cereis nigro colore tinctis, incenſis, ijsque deinde inuerſis, ad ſacramentum his verbis Iudæum adigo. Per decem, inquam, præcepta, quæ Deus in monte Sinai per ſeruum ſuum Moſem promulgauit, per execrationes mandatis annexas te adiuro, vt rem totam quemadmodum ſeſe habeat, aperias, ſi fefelleris, in caput tuum diræ illæ execrationes, quibus Moſes iuſſu Dei legis tranſgreſſores proſequitur, recidant, caroque tua inſtar liqueſcentium iſtarum candelarum diffluat, æternis præterea mulcteris & torquearis cruciatibus. Rabini obſtupeſcentes nebulonem ab obligatione iuriſiurandi prohibent, triumque dierum deliberandi ſpatio impetrato, nobili pecuniam ſine fraude reſtituunt. Monitos igitur hoc exemplo velim ſingulos, ne quibuſuis iuramentorum formulis à Iudæis ſibi imponi patiantur.
Viri autem Principes hoc prætextu ipſos defendunt, & ferendos cenſent, quòd officioſi ſint, in contractibus pluribus proſint, quòd permutationibus pecunias exponant, quòd denique miſeros ruſticos neceſſitate preſſos ſuis opibus ſubleuent, &c. Gratiam horum officiorum, vt apertè dicam, referat & rependat ipſis hic quem *Schet* ſua lingua vocant, qui tantum abeſt, vt pauperum egeſtatem facultatibus ſuis iuuent, vt onere preſſos tandem opprimant. Sed cùm paſſim ipſi magiſtratus pecunia deprauati illos tueantur, quis contra tot armatos bellum ſuſtinebit? Proferam tantùm quod ſuperiore anno ex concionatore audiui, qui ſe ſumma contentione egiſſe dicebat, ne expulſi Iudæi rurſus reciperentur.

Sed rectè in eos *Bos* in lingua Adagium torquetur. Solent enim Thalmudistæ imperitam plebeculam primò muneribus lenire, magistratuũ deinde animos pecunijs tentare, nullum nõ obsequium & cultũ ipsis exhibentes. Quin etiam concionatoribus sæpe ceu canibus iniecta offa os obturant. Exempla quædam proponerem, nisi vererer ne inde authoritati ipsius muneris & officij aliquid detraheretur. Pecunias enim hac in parte largiter profundunt, quippe qui eas alijs per fraudẽ eripiunt, vt alijs largiantur. Norunt scilicet, vt est in prouerbijs Salomonis; quòd munera homini ad principes facilem faciunt aditum. Tanta siquidem libido habendi quosdam inuasit, vt vel à Sathana aurum oblatum accipere sint parati, eidémque accepta mercede inseruire. At non abs re Dominus Exod. 23 Iudices populi monuit, vt animum à muneribus auerterent & illis interdixit, sciens quòd largitionibus corrumpantur, contaminenturq; iudicia, quodq; dona videntes excæcent & peruertant verba iustorum, ideoq; Deut. 18. & 27. maledictioni subijcitur is, qui expugnatus muneribus animam innocentis interemerit. Prouerbiorum decimoquinto, hic se perditum ire dicitur, qui muneribus accipiendis delectetur. Impium decimoseptimo capite donis gaudere affirmatur, vt incuruet & flectat viam iusti. Esaias item furum similes dicit esse eos, qui muneribus capiantur, &c. Viderint ergo ipsi Principes, præfecti & ministri verbi, quoniam Iudæos & Pilatum defendunt & protegunt, vt patrocinium suum iustis rationibus Domino excusare valeant, cum luce meridiana clarius sit, largitiones has ex miserorum hominum sanguine & visceribus hauriri. Is autem qui fœnoris fructum percipiens eidem patrocinatur, criminibus ijsdem, quibus fœneratores obstringuntur, sese obligat, ideoque cùm singuli magistratus ratione sui officij patres patriæ sint, & esse debeant, par est, vt damno & incommodo subditorum suorum plus afficiantur, quàm priuatis commodis commoueantur. Sed

res

res eò rediêre nunc, vt aurum dominæ & reginæ loco regnet imperetque, nullum scelus, nullum flagitium committitur, quod pecunia expiari non possit, vnde rectè poeta cecinisse videtur:

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Rogandus igitur assiduis precibus est Dominus, vt luce gratiæ suæ ex cordibus principum, hac deleta & exempta cæcitate saniorem ipsis mentem largiatur. Quòd si voti huius fieremus compotes, non solùm nefandis istis sacrilegio conquisitis muneribus renunciarent, verumetiam gentem, dijs, superis inferisque (ut ita dicam) inuisam, ceu pestem & pernitiem exterminarent. Is certè princeps, qui vsurarijs locum inter suos esse patitur, similis est homini lucios in piscinam suam varijs piscium generibus refertam immitenti, quos obuium quemuis discerpere et vorare nouimus. Quis autem tam est amens, vt ouem lupo committat, aut vulpeculam anseribus custodem constituat? Si quis odio concitus suos subditos omnibus modis exagitatos cupit, Iudæos ceruicibus ipsorum imponat, tam decoctos & atros ipsos reddent, quàm carbo est. Sunt autem callidi quidam nobiles, qui exactiones istas nefarias Thalmudistarum ad tempus ferunt & dissimulant: quàm primùm autem vel transuersum, quod dicitur, vnguem à nutu & arbitrio suo deflectunt, ansam ex triuio bona ipsorum inuadendi, nec non diripiendi arripiunt. Qui autem Christiani hominis partes tueri cupiet, is commodum publicum priuatæ vtilitati anteponet, alioqui non honorifico illo nomine Patris Patriæ, sed crudelis potius & immanis tyranni nota insigniendus veniet. Recensere nequeo, quanto cum luctu & mœrore animi eorum magistratuum negligentia & inhumanitas deploretur, qui subditos suos his modis cruciari & expilari patiuntur. Lutherus certè in hac querela grauis est. Verumenimuerò haud immeritò mirum ei videatur, cui quidem Sathanæ doli & artes non essent exploratæ, cur

odio magis capitali nos persequantur,quàm reliquas gentes,cùm tamen nobis fruantur hospitibus humanis & beneuolis,& ipsi principes eos tueantur,protegant & defendant,suas subditorumq; suorum opes inscij diripiendas exponant. Nam vnde tantas opes congererent exules, quàm ex nostris visceribus? Fur decem florenos iusto possessori subtrahens, vitam laqueo finire cogitur. Prædoni viatores spolianti caput amputatur. Thalmudistæ verò decem milliones auri dolis & imposturis suis corradenti impunè omnia licent.Hinc in errore mentisq; duritie cõfirmantur,& in nostram fidem impiè debachantur, ita se mutuò adhortantes. Eheu,inquiunt,cœptis fortiter insistamus,præstò est diuinum auxilium,à quo nunquam deseremur. Ecce enim neq; fodimus,neq; aramus,nihilominus tamen opibus affluentes vitam in otio & voluptatibus agimus,cùm interim miseri Christiani labore improbo manus atterentes vix habeant vnde viuant. Rem omnem ipsorum in nostram conferimus, dominio & imperio in ipsos hac ratione potiemur securè : eia conatibus insistamus, Mesias si venerit, in libertatem nos asseret, &cæt. Excusantur autem à quibusdam eo nomine,quòd ex præscripto decretorum pecuniam fœnerari cogantur. Bonas leges quotidie sanciri & promulgari non inficior: quantum autem de rigore ipsarum remittatur, ita palàm est, vt longa expositione non opus sit. Anno enim salutis supra millesimum quingentesimo tricesimo nono edicto publicato Iudæis à contractionibus interdictum est, atque vt labore & opere rustico victum cultumque sibi compararent iniunctum. Quàm verò supinè hæc obseruetur lex apparet. Monetarum cudendarum ordines & constitutiones promulgantur quotidiè, nihilominus de adulterinis nummis grauis & assidua est querela. Num ignoratur, à quibus authoribus Germaniæ nostræ imponatur? an Iudæorum falsæ monetæ cudendæ, probæ verò adulterandæ rationes latent? Immò verò constat, potentes Comites auro corruptos faciendæ mone-

tæ po-

tæ poteſtatem ipſis facere, eamque priuilegijs ſtabilire. Conſtat, non ſolùm nummis, verumetiam alijs mercibus deprauatas quàmplurimas ciuitates & regiones decipi.

Sed quid longiore oratione opus eſt, cuius culpa & vitio hæc fiant, lippis & tonſoribus notum eſt. Simile illis accidit, quod furi cuidam, qui ſupplicium & manus carnificis effugiens, ſe non ſolùm fructum rapinarum ſuarum percepiſſe, ſed iudices etiam donis demulſiſſe gloriatus eſt. Cur ergo his conſtitutionibus ſimplicioribus imponitur, cùm eas negligi ſit notiſſimum? Egregiæ igitur huius gentis, quæ ſe Dei populum eſſe iactitat, virtutes fiunt manifeſtæ, qui præſtigijs & incantationibus Schemhamphoræ & Tetragrammati edocti, victum ſibi cultumque magnificentiſſimum dolis fraudibusque parant, digni, vt ſeptuplo grauiore ſupplicio quàm fures conſtringantur. Callidiores enim & aſtutiores fures atque diſſimulatores mihi nunquam demonſtraueris, quàm ipſi ſint, niſi quòd celeritate perpetrandorum facinorum Hiſpani eos ſuperare exiſtimantur. Quòd ſi eiuſcemodi ſcelerum patroni, qui rapta redimunt, nuſquam extarent, tam profectò vigili cuſtodia non opus eſſet. Nam quæcunque circumforanei fures & latrones ſubtrahunt, ea Iudæis vili pretio diuendunt. Multi pecunias mutuas ab ipſis accipientes pretioſis pignoribus ſe obligant, quæ nunquam redimere poſſunt. Quinetiam temulentæ mulieres, quæ maritis abſentibus genio indulgent, quicquid frumenti ſuppellectilisque ſubducunt, id Iudæis ſcelerum horum diſſimulatoribus redimendum offerunt, ita vt dici nequeat, quantum detrimenti conuerſatio Iudæorum Chriſtianis afferat.

Perſuaſum habent ex doctrina Thalmudi, ſe noſtros fallendo decipiendoque gratum opus Iehouæ præſtare, exemplo Iſraelitarum abutentes, qui cùm ex Aegypto diſcederent, iuſſu Domini pretioſa quæque Aegyptiorum ſecum abſtulerunt. Fœnoris etiam decumas

soluunt, vt eò facilioribus vtantur magistratibus. Horrendæ sanè pœnæ loco reputandum est, nos adeò inertes esse, qui hæc non omni ratione declinamus aut auertimus. Sed tanta impietas complures Christianos inuasit, vt pecunias cum Thalmudistis nundinari non vereantur. De his si quæras quid sentiam: respondeo, me Iudæum non tantùm ex præputij sectione, & Christianum ex Baptismo iudicare & æstimare. Cùm enim eidem Deo, quem Christus Mammona vocant, inseruiant, in eodem etiam loco & numero habendi sunt. Non possum, quin hoc loco concionis cuiusdam mentionem faciam, quæ sub Carolo eius nominis quinto, laudatæ memoriæ, Imperatore Augustæ Vindelicorum habita est. Duo Iudæorum vitia potissimùm perstrinxit: diras nimirum & horrendas blasphemias, quibus in Christum Iesum debachantur, & fœnerationem immanem, quam in nos exercent. Confirmationem rei adhibuit eam, quam hactenus fusè tractauimus, ex decalogo demonstrans scelus nefandum inobedientiæ & blasphemiarum, cui sese totos deuouerunt, esse omnium grauissimum & atrocissimum. Quis enim, inquit, ex nobis iureiurando principi suo obligatus & deuinctus impunè maledicum aliquem famam ipsius imminuere aut lacerare patietur? an verò, Abisai exemplo, calumniatori scapulas demulcere non conabitur? Quis præterea parentes suos falsò deferri & iniquè traduci sine summo animi dolore, ira denique & concitatione animi audiet? Cùm ergo omnipotens parens nobis sit Deus, Christus frater & rex, penes quem omnis cœlorum & terræ est potestas, cur canes illos impuros ipsi impunè obgannire & maledicere patiemur? aut cur tot animas generosas, quas sanguine suo redemit, eripi sinemus? Itáne verò custos ouium gregem à lupo lacerari ab incolumi patietur? Quid verò? an non vsurarij isti acerrimis lupis rapaciores sunt, qui non opibus tantùm nostris, verumetiam animabus insidias struunt, quas tamen Dominus omni auro, argento, alijsque rebus, quæ à mortalibus

talibus

talibus pretiosæ ducuntur, potiores habet. Quantum verò ad iniquissimam inhumanissimamque fœnerationem attinet, qua nos defraudant, spoliant, & omnibus pecunijs emungunt, præterquam quòd ea ratione grauissimè in secundam tabulam legis proximos nostros vt nos ipsos diligere iubentis peccatur, hoc etiam mali accedit, quòd cùm reliqua flagitia temporis diuturnitate aliquo modo molliantur, auaritia hæc, quò plus acquisierit, eò maiore habendi cupidine æstuat. Latro vel sicarius vni aut alteri sceleratas manus inferens, fur item vnius aut alterius thesauris sublatis graui quidem, at simplici se polluens & contaminans facinore, iusto afficitur supplicio: idemque fit adultero. At verò omnium scelerum & flagitiorum cateruam secum trahenti fœneratori impunè omnia licent. Quibus autem quantisq; viris Iudæorum opera & artibus ad rastros res redijsse arbitramini, qui palàm cum ipsis contrahere tanquam religioni habebant. Eneruati muscarum instar, quæ telis aranearum inuolutæ, earundem aculeo interimuntur, si non vitæ, at certè fortunarum iacturam faciunt. Oculis deinde ad Imperatorem reliquosque principes & magistratus conuersis, grauissimum damnum, in quod fouendo exactores istos incurrerent, ipsis exposuit: Quam nam, inquiens, fœnerationis suæ vsuram aut fructum 600 isti, quos in hac tantū vrbe sustentatis, pendunt? mille, ni fallor, florenos. Itane vero tanta humanitate & misericordia erga ipsos estis affecti, vt decem florenorum pretio in capita singulorum numeratorum tantæ multitudini omnia, quæ ad vitam humanam necessaria sunt, suppeditetis? vt de thesauris, quos interim colligunt, nil dicam. Neq; enim agros aut vineas excolunt: sed otio & voluptatibus dediti, ex sanguine subditorum vestrorum tantam opulentiam parant, vt vel ipsos principes diuitijs superent. Num autem cœtui Christiano tolerandum esse putatis, quòd non sacra tantùm oracula, verùm etiam ipsius naturæ leges ferro flammaq; delendum & extirpandum censent? Ad eum

igitur laborem adigendi ſunt,quo generis mortalium parens ipſe vitam ſuſtentauit,&c.Hæc concionis ſumma eſt. vtinam principes attentis animis audiuerint,&c.

Tabula recenſens quæſtum, quem in annos ſingulos Thalmudiſtæ fœneratione ſua faciunt.

Elocati igitur floreni vnius quindecim bazios valentis, vſura in ſingulas hebdomadas cōſtituitur duorum nummorum, ſeu obulorum Francfortenſium, lucrum hoc prodit.

Annus.	*Flor.*	*Aſſes.*	*Obuli.*
1		2	5
2	1	4	6
3	2	6	
4	3	19	4 cum ſemiſſe.
5	6	3	& ſemiſſem obuli.
6	9	8	6 cum dimidio.
7	14	15	8
8	22	4	8
9	33	9	dimidium.
10	49	22	2 & dimidium.
11	74	10	7
12	110	18	3
13	164	18	3
14	242	7	8
15	362	10	7
16	537	10	5 cum dimidio.
17	796	16	6
18	1050	18	4
19	1749	18	4
20	2592	17	4

Annus

Annus.	*Flor*	*Asses.*	*Obuli.*
21	3841	13	4
22	5691	16	4.

Secundum hanc rationem viginti elocati floreni viginti annis lucrum ferunt 51824 florenorum. Solent enim elocati pretij vſuram, quæ exacto anno ſpacio rependitur, primo cuique pretioſa afferenti pignora, vtendam dare, vt ea ratione quæſtus ſubinde continuetur. Hinc facilè colligitur, quantum ad eos lucri redeat, qui multa florenorum millia opulentiſſimis mercatoribus in annos aliquot fœnori dant. Nam ij, quibus facultates ſunt tenuiores, quique paſſim vicos incolunt, pecuniam in ſeptimanas & menſes fœnerantur, ea tamen aſtutia, vt facilè breui tempore magnas diuitias corradant. Plures eorum artes, quibus ad nos fallendos decipiendosque vtuntur, poſſem recenſere: ſed quoniam plerisque ceu ſurdo aſello fabulam narrare mihi videor, hoc labore ſuperſedebo. Niſi autem ſingulari aliqua gratia Dominus ipſos ab impietate ad ſeriam pœnitentiam reuocauerit, quadrabit in eos, quod Ieremias dixit, Percutis eos Domine, non tamen plagas ſentiunt: varijs ipſos miſerijs exerces, nec conuertuntur vt reſipiſcant. Facies ipſorum ſaxis eſt durior, &cæt.

Horrenda quædam & nefaria Iudæorum facinora hoc capite enarrantur, ex quibus facilè conijcitur, quo erga nos essent animo, si ius aliquod in nos haberent.

Caput V.

CORruperunt viam suam, inquit Vates Psalmo decimo quarto, abominabile opus faciunt, non est qui faciat bonum: omnes declinauerunt, pariter fœtuerunt, non est faciens bonum, non est etiam vnus. Ad quos verba hæc referam, non opus est, vt pluribus explicem, res per se clara est. Bene quidem & verè dicitur, vnius aut alterius facinorosi hominis scelera non esse vniuersæ patriæ aut nationi ipsius imputanda. Par autem pari, vt dicitur, hîc est referendum. Nam cùm insigne aliquod flagitium à Christiano commissum audiunt, religioni nostræ id vitio vertunt, hos eius fructus esse dicentes. Cur igitur in pari caussa dispar audirent iudicium, præsertim cùm verè affirmare possim, in eodem ludo omnes ad nequitiam & scelera exercitatos esse? Gratiosos & officiosos se simulare egregiè norunt, omnia officia magistratibus & verbi diuini ministris deferentes. Sed simplicitati humilitatiq; eorum credat Iudæus Apella, non ego, vt est apud Poetã: latet enim anguis in herba, virusq; plus quàm serpentinum sub pectore fouent. Etenim si hodie talem obtinerent potentiam, qualem Christi temporibus obtinuerunt, amiciores ne ipsos arbitramur, quàm Christo seruatori fuerint? Si Christũ libertate sua & autonomia destituti vinculis, verberibus, omnique supplicio excruciatum necauêre, quid mali eos nobis molituros censemus, si Republica aliqua potirentur? Percurre Iosephum historiarum Iudaicarum scriptorem accuratissimum, gentis sanè omnium quæ sunt, quæ fuerunt, quæque futuræ sunt, pertinacissimæ, crudelissimæ, & atrocissimæ exempla passim occurrent, ex quibus cognosces, quàm seditiosum sanguinisque sitiens eorum sit ingenium. Sacrarum

crarum literarum imperitus, eosque Christi & Apostolorum interfectores esse ignorans, facilè ex eius lectione, quæ sit ipsorum natura, percipiet, vtpote cum tanta ira & vltionis cupiditate ipsos exarsisse sit comperturus, vt in propria viscera sæuierint. Iosephus certè incredibili animi dolore coactus, confitetur se non dubitasse, nisi à Romanis vrbs fuisset excisa, quin vel igne cœlesti, vt Sodoma & Gomorrha, vel hiatu terræ absumpta interijsset. Hi ergo falluntur, qui nescio qua externa specie reuerentiæ, quàm Thalmudistæ Christianis exhibent, seducti, sibi persuadent, ipsos humanos & officiosos esse, cùm certum, ratumque sit, quod, quò plus in ipsos contuleris officij, eò sis tibi habiturus infensiores. Exempla Iosephi, Mosis, Dauidis, Prophetarum, ipsius denique saluatoris nostri hoc demonstrant. Victor Carcumensis, peruicatiorem gentem, vltionsque cupidiorem ipsis Thalmudistis sub Sole degere negat, vtpote qui proditionibus, latrocinijs, adulterijs, furtis, rapinis, omnisque generis, sceleribus & flagitijs sint delibuti. Quoniam igitur ciuium albo ascribuntur, cur non libidini ipsorum itur obuiam? cur laxatis frænis in omnia scelera præcipites ruunt? cur excusso legum iugo impunè quæuis audent? Eum qui ad magistratum Christianum aliquem ex fratribus suis defert *Moser*, id est, impium proditorem vocant? Cùm ergo inter ipsos tanta sint dissidia, vt hospes ab hospite vix tutus sit, quis ex nostris securè sese ipsis committere audebit? Euoluantur obsecro historię anno 1525 de Tyrannide Iudaica editæ. Quanta crudelitate & immanitate odium suum erga Christianos inueteratum in Alexandria, Syria & Ægypto, exercuerint, miserabile & horrendum auditu est. Vorarunt occisorum Christianorum carnes, cadauera eorum obiecerunt feris, effuso sanguine vnxerunt sese, pellibus denique excoriatorum sunt induti. In Cypro 240000 Christianorum occidione occiderunt. Quam horribilem stragem, cædemque Christianorum Adriani Impe-

ratoris tempore fecerint,manifestum est. Quid insidiarum sub Iuliano Imperatore nostris fratribus struxerint & machinati sint,adeò est notum,vt longiore explicatione non opus sit. Tum igitur quietè agunt,cùm virus sub pectore repostum euomere nequeunt, cùm machinæ desunt, quibus tum insidias suas conficiant. Quòd si Turcarum Imperator in nos irrueret (malum hoc auertat Deus clemens & misericors)cerneremus,quos fouissemus hospites. Non enim solùm ferrum & materiam hostibus nostris ad nos funditùs delendos & euertendos suppeditarent,verùm etiam alijs nobis manus afferre recusantibus,primi in nos impetum facerent,& nos carnificum more grauissimis & acerrimis tormentis dilaceratos neci darent, quòd Imperatori Aeneæ contigisse constat. Pauca autem proponam exempla vt res sit euidentior. Anno 1437 Thalmudistæ Dekendorfium(qui pagus in Bauaria situs est)inhabitantes, hostiam, quam vocant, furati, pugionibus transfixerunt,incudiq; impositam, & malleis summis cum blasphemijs contusam in æstuantem fornacem proiecerunt. Sceleris huius atrocitas graui coercita est supplicio: nam magna Iudæorum pars candentibus laminis discerpta & exusta est. Anno 1510 Ioachimi Marchionis Brandenburgici iussu cremati sunt *38* Iudæi,qui redemptam à scelerato sacerdote hostiam, pugionibus cultrisque transfodientes, execrandis simul conuitijs Christum & ecclesiam eius petierunt. Narratur (si modò vera est fama) mirabili & prodigioso modo tantum ex vulneribus hostiæ emanasse sanguinis, vt factum diutius celari non potuerit. Impurus,impiúsque sacerdos ardentibus forcipibus dilaniatus & diuulsus vnà cum scelerata cohorte cōbustus est.Colini(quod oppidum est Bohemiæ)à matre veneno sublatus est filiolus,eò quòd Christianorum liberos in templum comitatus erat,domumque rediens imprudens loci situm & ornatum matri prædicauerat.Virgo annos nata duodecim propterea quòd cum muliere Christiana inscijs parenti-

bus

bus peregrè proficiſcens carnem ſuillam guſtauit, viua defoſſa eſt. Parens filium noui teſtamenti caput aliquod legentem deprehendens, è veſtigio comburendum curauit. Victor Carcumenſis miſerabilem hanc refert hiſtoriam. In Rabinum Samuelem virum doctiſſimum, eò quòd Babylonica impietate profligata Chriſto ſe conſecrauit, complures Thalmudiſtæ conſpirant, qui quadringentis taleris oblatis ſcelerato ſicario perſuadent, vt ex catapulta plumbeo globo eliſo bonum ſenem interimeret. Voti fiunt compotes: miſer ſenex cadit. Sed rarò antecedentem ſceleſtum, deſerit pede pœna claudo. Deprehenſus enim latro, & vi tormentorum coactus cædem à ſe factam confitetur, authores ſceleris indicat, ignitis tandem forcipibus diſtractæ partes eius vijs publicis palis appenduntur. Iudæi autem ad minimum 52 nulla habita ætatis aut ſexus ratione, ad ſupplicium rapiuntur, & à pedibus patibulo ſuſpenſi, capite ad terram vergente, in tres dies vitam protrahunt. Omnes autem quos ex ipſis luce Euangelij ſui dignatur Chriſtus vno ore queruntur, varij generis inſidias paſſim à Thalmudiſtis vitæ ſuæ ſtrui. Verentur proculdubiò ne per hos homines ſuæ detegantur fraudes & ſcelera, qui ſine Chriſtiano ſanguine nil moliuntur aut prętant. Horrore, tremoreq; concuterentur piæ mentes, ſi auribus ſuis nefaſtas illas blaſphemias, quibus in vnctum Domini impetunt, perciperent. Dies me citius quàm ſcribendi materia deficeret. Anno 1358 cruci in Anglia affixerunt puerum Chriſtianum, cui nomen erat Wilhelmo Hugoni, ex cuius venis inciſis ſanguinem fluentem exceperunt, quò ad multa nefaria abuſi ſunt. Multi propter facinus hoc immane & crudele iuſto ſupplicio affecti, plures inde exterminati ſunt. Anno 1475 apud Treuiros eodem ſupplicio excruciatũ puellum qui vocabatur Simon in profluentẽ proiecerunt, vt aquarũ multitudine ſuffocatus videretur. Dominus aũt prodigio ſcelus hoc patefecit. Puer enim caput efferẽs ſublatis in cœlũ manibus clamorem magnũ ter repetitum emiſit.

Hoc exaudito, ex aqua extrahitur, vulnera apparent, carnifices capiuntur, à tortoribus acti, quidam cùm vim tormentorum diutius ferre non possent, factum aiebant, quidam verò constanter pernegarunt. Iustissimo tandem supplicio affecti, ducenti & quindecim igne de medio tolluntur. Extat hæc historia aureis litteris in curia Treuirorum notata. Rex Galliarum Philippus anno 1148 eo tantùm nomine Iudæos ex vniuersa Gallia expellendos curauit, quòd singulis festis Paschatis puerum Christianũ in crucem agerent. Sed ijdem nõ multò pòst Parisijs habitandi locũ magno pretio redemerunt. Facilè quidem crediderim Christianorum metu hæc non vbiq; admitti, verùm cùm tot ab ipsis perpetratæ cædes factæ sint manifestæ, quot ęditas esse censemus, quæ sopitę delituerunt? Augustę Vindelicorũ à carnificibus his puer in crucem actus est, cui rei viuis testibus fidẽ facere possem. Anno 1545 Wittenbergę homo cõsceleratissimus captus est qui habita quæstione, vndecim se pueros Pragensibus Iudęis vendidisse confessus est. Iohan. Romanus, Zachariam quendam Bamburgensem multos infantes Iudæis distraxisse, tradit 12 & 21 cap. Quid enim eos nil præter sanguinem nostrum sitire mirum est, cum tanto in Christum odio flagrent, vt mentionem eius sine nausea & fastidio ferre non possint? Anno 1 3 4 9 fontes à Iudæis infecti sunt, pestis inuadens 15000 homines absumpsit Bernæ igitur Heluetiorum 30 Thulmudistæ, qui fuga vitæ consulere cogitabant capti, plures Basileæ necati; ducenti Argentinæ cremati sunt. Eandem ob causam Norinbergæ anno 1 3 5 0 multi combusti sunt, atque hodierno die in memoriam sceleris sempiternam fons infectus Iudæorum nomen accepit. Anno 1 3 2 2 passim in Gallia fontes à leprosis inficiendos curarunt, multi ideò & leprosi & Iudæi ferro flammaque deleti sunt. Hæc similiaque nefanda facinora solius Sathanæ erroris & tenebrarum parentis instinctu, vel etiam Turcarum monitu perpetrant, quos proculdubio (vt suprà dictum est) non vul-

vulgari amore aut beneuolentia prosequuntur, cùm ob proditiones cum Turcis commissas quosdam graues soluisse pœnas sit manifestum. Huc spectat quòd medicinam profitentur, neq; Galeno neq; Hippocrati se cedere affirmantes. Callidè profectò principum animos suis prę stigijs sic perstringere norunt, vt eorum curæ & fidei se totos committant. Sed quos curarint, perspicimus ex ijs, qui eorum opera vsi sunt. Ego à pharmacis ipsorum ceu præsentissimo veneno abstinuerim. Noui enim virum bonum & honestum, qui grauiter decumbens, Iudæū medicum (licet hoc illi summopere dissuaderem) adhibuit, sed non multò pòst obijt. Quòd si consilio meo obtemperauisset, superstes etiamnum viueret. An obscurum est Carolum caluum imperatorem à Iudæo medico suo, quem in intimis habuit, veneno sublatum fuisse, cùm id sub syrupi specie hausisset? Sebastianus Francus virum doctissimum veneno ab ipsis necatū affirmat. Veronę, quod oppidum in Italia situm est, medicinam fecit Thalmudista, famulo vtens Christiano, qui iam propemodum animā agens, plus quàm sexcentos homines à magistro suo sub curationis specie sublatos fatebatur. Multos prætereà eiusdem doctrina seductos à Christiana religione ad Iudaismum defecisse dicebat. Porci ergo & asini ipsis curandi committantur, non homines. Nostram sanè mentis cæcitatem satis deplorare non valeo, qui Phrygibus stolidiores, fraude malitiosa & perniciosa toties decepti, nil sapimus, eorum improbitatem non deprehendimus aut persentiscimus. Certum enim est, omnes, vel certè plerosque, quos curandos suscipiunt Orco, vt ita dicam, demitti. Nam incantationes & præstigias, quibus ad sananda vulnera vtuntur, ad exitium & perniciem nostram conuertunt, lucrum desideratissimum facientes, si & vita & opibus nos spolient. Quippe cùm tanta ipsos nos occidendi libido inuaserit, vt sanguinem nostrum pręter omnia malint. A sceleribus autem non virtutis amore, sed metu suppliciorum crudelissimorum, quibus sæpe-

numerò coercentur, se interdum continent. Oderunt enim peccare mali formidine pœnæ. Sin autem aliquis diligentius imposturas ipsorum cognouisse percupiet, historiographos euoluat. Nam si singulorum historia mihi esset hîc pertexenda, longius iustò excurreret oratio. Ieremias propheta ad scelera ipsos procliues, celeres & acutos, ad pietatem verò tardos & hebetes esse testatur. Quòd autem iure magistratus Christianus ipsos expellere possit, ex Psalmista comprobatur. Psalmo enim 101 habetur: Non habitabit in medio domus meæ faciens dolum, loquens mendacium non firmabitur coram oculis meis. Singulis matutinis succidam omnes impios terræ, vt exterminem de ciuitate Iehouæ omnes operarios iniquitatis. Iniungitur hoc à Domino Deut. 13 & 14 cap. Apostolus item ad Timotheum 1. 2. & 3. ad Titum 2 & 3 capitibus, ab eorum nos deterret consortio, quoniam vasa iniquitatis sint. Sanctus autem Iohannes in secunda epistola: Si quis, inquit, venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne recipiatis eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim illi dicit Aue communicat operibus eius malis. Et quoniam Apostolorum ætate ab Iudæis authoritate grauioribus potentia ornatioribus, religione etiam excultioribus quàm hi sint, decessionem fecêre Christiani, quanto studio nobis horum fugienda erit societas, qui à Domino prorsus nunc reprobati & reiecti sint? Clamat enim Deus per Oseam *Loammi*, id est, non populus meus hic est, nec ego ipsorum Deus.
Cùm ergo hi qui salutem ipsis precantur, reprehendantur, quantò grauiore reprehensione dignos esse putamus eos, qui expugnati auro, in exitium & perniciem suorum ciuium, ipsos alunt, fouent, sustentant & tuentur? Lex enim à natura nobis insita violatur, cùm acerrimos & infensissimos ducis & capitis nostri hostes, tanquam serpentem in sinu fouemus & nutrimus. Verum quidem est, quòd inter nos etiam impij Hypocritæ, tanquam lolium in fertili agro, excrescunt & augentur, sed qui apertos nominis

minis

minis Christiani osores & expugnatores se non profitentur. Et quoniam simulata & hypocritica religio veram & synceram ferre nequit, quî vera & indubitata fictam & hypocriticam feret. Valeat autoritatemq́; suam apud nos obtineat Pauli mandatum, vt quicunq; Christum Iesum non dilexerit, maledictus sit. Cogit me ingens animi mœror in hæc verba erumpere, nonnullos Germaniæ principes adeò de sua, suorumq́; salute esse securos, vt quamuis Idololatriam in ciuitatibus suis admittãt. Sed quàm malè Respub. ab his geratur & administretur, quorum animi in varias partes distracti, quemuis cultum Dei pro arbitrio sibi fingunt & concipiunt in tumultibus, seditionibus & bellis ciuilibus apparet. Scinditur enim diuersum studia in contraria vulgus, vt est apud poetam. Religionis se prætextu excusant, quod Dominus non euellendum esse lolium ex segetibus monuerit. Dictum Domini fixum per me firmum maneat. Non enim hîc de eo lolio agitur, quod in agro bonarum segetum vnà cum frumento nascitur & excrescit, sed de eo sermo est, quod nos ipsi bonis frugibus inserimus. An verò is immeritò amens, delirus, omni denique ratione captus videbitur, qui sentes, spinasque ex alieno agro euulsas in suum transfert?

In hoc certè vitium nostri Principes incurrunt, qui in agris suis lolio & zizania satis superq; refertis, has etiam spinas vepresque inserunt. Cùm autem Thalmudistæ sentibus carduisque sint horridiores, quos quiuis rei rusticæ peritus, dummodo laborum suorum fructum aliquem percipere cupiat, ex agro fertili funditùs euellit, extirpatq́;, indigni sunt, qui leuiter zizanij aut lolij loco habeantur. Quidam autem, cùm Christus seruator hostes nostros nos diligere iubeat, omnia humanitatis officia ipsis exhibenda esse censent, ne nimirum vagi & errabundi passim sibi quærere cogantur domicilia. Firmissima scilicet ratione vtuntur, & ego immisericordiæ

& inhumanitatis conuictus, cùm ipsos eijciendos esse monui, feci contra officium. Ciuium enim parracidam Barrabam meo suffragio & calculo liberare, Christum autem capitis damnare debebam. Pericles certè vix mihi persuasisset, homines adeò misericordes & humanos adhuc in terris extare, quales hi sunt, cùm ex oraculis spiritus sancti afflatu fusis, quibus nil potest esse verius, editum sit, quod in hoc seculo ad exitum & consummationem ruente perpetua ferè futura sit ab officijs charitatis & humanitatis Christianæ intermissio & cessatio. At nunc contrarium video. Quidam enim adeò blandi & mansueti sunt, vt Iudæos, Turcas, aliosque consceleratos homines non solùm ferant, cum ipsis negotientur, contrahant, conniuentur, verùm etiam eodem idololatriæ imposturarum, latrociniorumque scelere vnà cum ipsis sese obstringant & polluant. Sed rursus fallacia alia aliam trudit: nam susurratur ab alijs, cum eodem peccati veneno omnes simus infecti, infirmitati hominum imperitorum esse ignoscendum. Hoc enim huius seculi est ingenium, vt si non apertè virtutis specie vitia obtegere possit, leniusculi saltem peccati nomine ea excuset. Nam à suis patronis scelera sic dissimulantur, luporumque concordia etiam prouerbijs nobilitata est, vt aper in aprum dentem vibrare dicatur. Amore tali homines isti Iudæos prosequuntur, cuius radix amara est, vtpote qui ex lucri potius spe, quàm aliquo humanitatis affectu proficiscitur. Atque vt paucis rem expediam, Duo charitas Christiana à nobis postulat: amorem nimirum Dei & proximi. Amandus & venerandus est super omnia Deus, diligendus proximus ac idem alter. Qui verò Deum ex toto corde & pectore amat, is quomodo simul hostes eius acerbissimos diligere possit non video. Nemo enim, vt inquit Christus, duobus inseruire potest dominis. Quòd si obscurum est ipsos hostes Dei esse, ex Psalmo centesimo trigesimonono manifestum.

nifeſtum fiet. Occîdis Deus impium & viros ſangui narios,quibus dico recedite à me. Qui dixerunt contra te abominationem, aſſumpſerunt in vanum nomen tuum hoſtes tui? odio habentes te Iehoua,odi,& inſurgentium in te,me tædet:perfecto odio odi illos,& pro inimicis fuerunt mihi. Item,26. Non mihi res erit cum impijs & iniquis,odi cœtum improborum. & trigeſimo primo: Odi eos qui impios amant,at verò in Domino confido & centeſimo primo: Non ponam coram oculis rem impiam, quam deſignem,opus declinantium odi, nõ adhærebunt mihi, cor prauum recedet à me, malum non agnoſcam. Amor autem Dei nullibi clarius apparet quàm in odio inimicorum eius. Nam, vt eſt Pſalmo nonageſimo ſeptimo, qui Iehouam diligunt, odio habent malum: is verò qui nobiſcum non eſt,contra nos eſt,teſte ore ipſius veritatis. An verò moderni Thalmudiſtæ ſcelere & improbitate Iudæos illos non ſuperant, qui Chriſtum redemptorem noſtrum atrociſſimis tormentis excruciatum interfecêre? num ex odio eorum grauiſſimo acerbiſſimoque, quo in nos & ſeruatorem noſtrum incenſi ſunt,id non ſatis apparet? Perditus enim & maledictus is eſt, qui Chriſtum non ſummo & ardentiſſimo amore proſequitur. Vt verò ſcias,quę amoris in proximum ſint officia,& in quos beneficus eſſe debeas, aduerte quid Chriſtus Lucæ decimo per parabolam præcipiat, cùm de Samaritano à latronibus ſpoliato & propemodum interfecto agit. Excipiendi enim ſunt hoſtes Dei: ſiquidem fieri poteſt, vt aliquis me iniuria afficiens ex amico faciat inimicum. Cui ideò ignoſcendum omniaque humanitatis officia præſtanda eſſe monet Dominus, ne cæco aliquo odio aut affectu ad vindictam,quæ penes ſolum Deum eſſe debet,incitemur & ruamus. Quòd ſi igitur impura & ſcelerata hæc Thalmudiſtarum cohors iniuriam aliquam mihi intuliſſet,eam iuſſu Domini voluntaria obliuione bona pro malis rependens,ex animo delere debebo. Sed quoniam nulla me priuatim pepulerunt inſigni iniuria, nullum

etiam mihi cum ipsis intercedit eo nomine odium aut inimicitia. Quandiu verò Christum salutis nostræ authorem tot impijs, horrendisq; conuitijs & contumelijs petent & lacerabunt, tandiu capitali ab ipsis dissidebo odio, de eo, donec resipuerint, & ad saniorem mentem redierint, nil remissurus. Sed quid opus est multis verbis? Simulata tantùm & hypocritica pietas est eorum hominũ, qui sub Christianæ charitatis prætextu Iudæos tolerandos & fouendos censent. Nam si præceptis Domini obtemperantes liberales & misericordes esse cupiunt, non sunt, neque deerunt pauperes in Christo fratres, in quos beneficia conferant. Lupi deprehensi & capti eos miseret, ouium autem ab ipso dilaceratarum nullo misericordiæ tanguntur affectu. Dolent canẽ rabiosum pœnas dare, infantis ab ipso læsi nulla habita ratione. Vtrum enim iustissimum latronis supplicium, an verò hominis crudeliter ab eo interfecti interitus maiore animi dolore perferendus est? Facilè, vt opinor, hinc manifestum fit, quàm cæcus, fictus, & simulatus is amor sit, quo consceleratos illos fures complectuntur. Lutherus, quem honoris gratia nomino, preter Thalmudistas acerbiorem & infensiorem homini Christiano hostem esse negat, ideoq; eorum consortium cane peius & angue fugiendum esse censet. Nam quo humanius ipsos tractaueris, eò acriore erga te laborabunt odio, eò magis illudent tibi, te contemnent & execrabuntur. Ecce enim, inquiunt, canes hos & Deum ipsorum sibilamus, explodimus, detestamur, dirisque omnibus deuouemus, cùm ipsi interim omnia obsequia & seruitia nobis præstare cogantur. Certissima hæc sunt liberationis nostræ signa & indicia. Exempla maiorum nostrorum hoc docent, qui grauissima seruitute pressi, cùm liberandi essent, pretiosa quæque Aegyptiorum in patriam secum transtulerunt. Eia fratres, inquiunt Rabini,

Durate, & vosmet rebus seruate secundis.

Longè enim grauiores atrocioresque calamitates Christianos

ſtianos obruent quàm Aegyptios. His vbi erunt oppreſſi, tum demum, quod felix fauſtumque ſit, patriæ noſtræ reſtituemur, &cæt. Hinc ergo liquet, quam, dum ipſos fouemus, mereamur gratiam. Quòd ſi quis iniquior fidem verbis meis derogabit, huius ſenſus omnes obſtupefactos, aut ipſum muneribus corruptum aſſerere non verebor. Nam pro inſita ingenij calliditate, qui viri ſint Boal Schoat, hoc eſt, munerum amatores, facilè deprehendunt, quos turpi largitione corrumpunt. Qui verò cautiores ſunt, manusque ſuas muneribus impuris accipiendis polluere verentur, hos Reſchoim, id eſt viros improbos appellitant. Largitoribus igitur his, pecunia ſua magiſtratus noſtros oppugnantibus, ſancti Petri ad magum dictum competit, quòd nimirum cum ſceleſta ſua pecunia ſint perdendi.

Breuem autem hîc contexturus ſum catalogum Imperatorum, Regum, Principumque Chriſtianorum, qui ſcelera Iudæorum diutius non ferentes ipſos ceu peſtem & perniciem profligarunt. Nam de Romanis, quorum ingenio Hebræorum contumacia fuit intolerabilis, nihil dicam.

A nato igitur ſaluatore anno quadringenteſimo decimo octauo, præſidente epiſcopo Cyrillo, tumultu exorto ex Alexandria pulſi ſunt. Anno ſexcenteſimo trigeſimo ſecundo à Gothorum rege, quem ferè Chriſtianum fuiſſe perhibent, Hiſpania extruſi ſunt. Cumque paulatim domicilia repeterent priſtina, à rege Ferdinando deuictis Sarracenis exterminati ſunt numero quatuordecim millia. Anno ſexcenteſimo trigeſimo nono ab Alberto Pontio Galliarum rege ſolum mutare coacti ſunt. Imperator Herquillus cùm magnam Imperio Romanorum à Iudæis parari & impendere calamitatem animaduerteret, omnes exturbandos curauit. Anno ſupra milleſimum ducenteſimo octuageſimo ſecundo à rege Philippo denuò ex Gallia extorres alibi ſibi hoſpitia quærere coacti ſunt.

Anno millesimo ducentesimo quinquagesimo octauo ex Anglia detrusi sunt. Anno 1340, & 1341 passim ex Germaniæ Galliæque ciuitatibus, eò quòd fontes infecissent, eiecti sunt. Norlingenses ira & odio iniquissimæ atrocissimæque Iudæorum fœnerationis commoti, viros pariter & mulieres, iuuenes, senesque numero ducentos trucidarunt, & ædes eorum diripuerunt, bonaque sub hasta vendiderunt, anno millesimo trecentesimo quadragesimo octauo. Eodemque anno Augustani singulos in carceres coniecerunt, qui florenis plus minus viginti duobus millibus vitam sibi redimerunt. Passim deinde sedibus pulsi, complures necati sunt, vt est apud Munsterum. Pragenses domibus eorum direptis & incensis, aliquot millia interemerunt anno millesimo quadringentesimo. Carolus eius nominis quartus Romanorum Imperator ex regno suo & vniuersa Germania Iudæos præcipites exturbandos curauit. Nuper etiam ex regno Bohemiæ extrusi & eiecti sunt. Præterea ex Saxonia, Misnia, Palatinatu, itē Magdenburgo, Regenspurgo, Norinberga omnes exterminati sunt. Has enim calamitates iustissimo Dei iudicio perferre coguntur, cuius iram grauibus & enormibus sceleribus atque flagitijs prouocant & concitant. Lutherus igitur tutissimum, conscientijsque nostris consultissimum esse ratus est, si à nobis quàm longissimè dimouerentur. Nam hac ratione ab iniquissimo fœnore, quo nostros opprimunt, essemus immunes, neque ipsi haberent, quod de nostrorum iniuria conquererentur. Quòd si penes eos vitæ necisque nostræ talis esset potestas, qualis nostra Dei beneficio in ipsos est, actū esset de nobis, periissemus illicò. Nam quàm diro & capitali erga nos ardeant odio, ex precibus, orationibus, execrationibusque eorum quotidianis, quibus nos omni inferorum potestati consecrant & deuouent, liquet. Historiographorum etiam scripta, & grauissima supplicia, quibus ipsorum constricta est crudelitas, id abundè declarāt & testantur. Nam quòd complures clam, de quibus ne verbum historici prodiderunt

runt, omni tormentorum genere interemerint & trucidarint, nemini dubium sit, quamuis Deum deierantes constanter id inficientur. Hoc autem scelus dissimulare nequeunt, quòd propter Christum Iesum, quem nos verum Deum & hominem peccata mundi sustulisse & expiasse credimus, nos quotidie in suis concionibus ter detestantur & execrantur. Cùm igitur omnia, quæ nobis fiunt, Christus ita se accipere & interpretari dicat, ac si in seipsum conferrentur, certum est, omnes contumelias & iniurias, quibus gregem Christianum petunt & proscindunt, Christo etiam inferri. Hunc cùm omnibus conuitijs blasphemijsque lacerant, maiestatem etiam & essentiam eius diuinam, quantum possunt, conscindunt, quo scelere & flagitio nullum potest excogitari grauius, atrocius, enormiusque. Quis ergo posthac in dubium ea vocare poterit, quæ de ijs litteris & memoriæ consignabuntur, præsertim cùm flagitiorum omnium, quibus sese inuoluerunt, tanta sit magnitudo pariter & multitudo, vt scriptis comprehendi nequeant? Christi enim seruatoris nostri non est mentiri, qui ipsos antiqui Draconis sobolem & progeniem vocat. Paucis præterea nota est insatiabilis illa crudelitas & sæuitia eorum Thalmudistarum, qui sub Turcarum imperio degunt, quam in nostros exercēt: nam sanguine nostro expleri & satiari nequeunt. Cùm enim in nostra potestate existentes tales in nos sint, quales esse putaremus, cùm copiam & facultatem pro libidine nos torquendi & cruciandi obtinent? Proferrem de hac tyrannide plura, nisi me pletisque fabulam narrare scirem. Magistratus enim iampridem exulceratus hæc se non intelligere simulat, & in vtramuis (quod dicitur) aurem dormiendo, horum omnium peccatorum se reum quoque facit.

Quomodo Thalmudiſtæ tractandi ſint, cùm inter Chriſtianos locus habitandi ipſis conceditur.

Caput VI.

ESaias vates quinto ſuæ prophetiæ capite: Væ, inquit, ijs, qui iuſtificant impium propter munera: iuſtitiam autem ipſorum auferunt ab ipſis. Et Dauid Pſalmo centeſimo nono, viduos orphanosque ab omnibus deſertos & derelictos eſſe queritur. Quòd ſi igitur non lucri ſpe & cupiditate, ſed genuino charitatis & miſericordiæ affectu commoti, tecta & hoſpitia Thalmudiſtis præbere cupimus, vicum aut pagum aliquem ipſis incolendum concedamus, vbi opere ruſtico faciendo ſumptum exerceant ſuum. Nam ſi duro labore ſeſe ſuſtentare victumque ſibi quærere cogerentur, non more nobilium ſplendidè & magnificè in otio & ludo vitam agerent, ſed humiles & abiecti ad meliorem tandem frugem ſe reciperent. Deliberatum eſt hac de re ſæpius, & vehementia eo nomine Imperatorum principumq; ſcita & decreta ſunt promulgata. Sed cùm hîc non agatur res propria, & paries proximus, quod dicitur, non ardeat, ſola autem Dei gloria & proximi ſalus ſpectetur, deſeritur, vt plerunque fit, officium, & à rigore legum ſumma fit remiſſio.

Paucis, quid ſentiam, exponam. Quòd ex albo electi populi Dei deleti hi Thalmudiſtæ ſint, age Moſis ipſius teſtimonia audiamus. Deuteronomij vigeſimo nono capite his verbis futuram maledictionem & repudiationem prædicit. Iratus eſt Iehoua in terram ipſam, vt induceret ſuper eam omnē maledictionem in hoc libro ſcriptā: extirpauitq; eos Iehoua è terra ipſorum in ira & indignatione, & furore magno, & proiecit eos in terram aliam ſicut hodie, &c. & alibi: Diſperget te Iehoua in omnes populos ab vno extremo vſque ad alterum extremum terræ, colesque ibi Deos alienos, quos non noſti tu, neque patres tui, lapidem & lignum: neque in gentibus

bus ipsis requiesces, neque erit requies plantæ pedis tui. Dabit item Iehoua illic tibi cor pauidum, & defectum oculorum, & mœrorem animi, & erit vita tua suspensa tibi è regione, & pauebis nocte & die, neque credes vitæ tuæ, &cæt. His astipulatur Ieremias vigesimo primo cap. Gladio, fame, peste te delebo, inquit Iehoua, eris in execrationem, pudorem, & ignominiam, eò quòd non audiuisti verbum meum. His similibusque minis & futuræ calamitatis prænuncijs præsens eorum exilium, quo ad finem vsque huius seculi multabuntur, est præmonstratum.

Deus enim, vt habetur Psalmo quinto, non est qui velit impietatem, non habitabit iuxta ipsum malus. Non stabunt stulti coram oculis eius, odit omnes operantes iniquitatem. Perdet loquentes mendacium. Virum sanguinolentum & fraudulentum abominatur. Attendamus obsecrò illis, quæ Dauid alibi Spiritus sancti afflatu de ipsorum exilio fudit vaticinio. Discurrant (Psalm.21.) vesperi eiulantes canum more. Interficito eos Iehoua manu forti: nos protegens & defendens, ad inferos ipsos detrudito: redigito eos in nihilum, vt intelligant te dominum & gubernatorem esse huius mundi, &c. Item, Psalmo sexagesimo nono. Sit mensa eorum coram eis laqueus, & quod ad paces in offendiculum. Obscurentur oculi eorum ne videant, & lumbos eorum semper nutare fac. Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. Sit palatium eorum desolatum, in tabernaculis eorum non sit qui habitet. Quoniam eum quem percussisti persequuntur, & de dolore vulneratorum tuorum narrant. Pone iniquitatem super iniquitatem eorum, nec ingrediantur ad iustitiam tuam. Deleantur è libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Præterea Psalmo 109. notans Iudam proditorem Christi, & alios eius inimicos in hanc querelam erumpit. Os impij & os dolosi super me aperuerunt se, locuti sunt mecum lingua mendaci, & verbis dolosis circundederunt me, &

pugnauerunt contra me absque caussa. Pro dilectione mea aduersati sunt mihi,& ego vir orationis eram. & posuerunt aduersum me malum pro bono, & odium pro dilectione mea. Constitue super eum impium,& Sathan stet à dextris eius. Dum iudicatur ipse, exeat impius, & oratio eius sit in peccatum. Sint dies vitæ eius pauci, filij eius pupilli, & vxor eius vidua. Vagando vagentur filij eius, & mendicantes quærant victum, de suis desertis prodeuntes. Reuocetur in memoriam iniquitas patrum eius apud Iehouam, & peccatum matris eius ne deleatur: sint coram Iehoua semper, & succidat è terra memoriam eorum. Eò quòd non est recordatus facere misericordiam, & persequutus est virum pauperem, & mendicum,& attrito corde vt interficeret,&cæt. Hanc autem iram & maledictionem diuinam tum temporis maximè prouocarunt, cùm productum ad Pilatum Christum suo calculo damnarunt,clamantes: Crucifige,crucifige: Sanguis eius super nos & filios nostros. Gratiam igitur in Christo nobis oblatam ne aspernemur, & in via Domini ambulantes,soli Deo inseruiamus. Nam quòd hæ Iudæorum reliquiæ hodie supersunt,certissimum iræ & furoris diuini in ipsos flagrantis signum nobis sit & testimonium, qui eos reliquis gentibus exemplo & documento esse voluit. Non ineptè etiam hinc colligimus, nefas esse nos ipsos ita in nostram tutelam recipere, vt patrocinio nostro defensi commodius immanem fœnerationem exercere possint. Ad opera autem mechanica adigi deberentur, vt duro labore decocti, peccatorum suorum commonefierent, feriamque agerent pœnitentiam. Verùm adeò securi & negligentes sumus, vt cùm homines nefarij diuturno hoc exilio multati vilissima & abiectissima nobis præstare debebant seruitia, nostri ea ipsis exhibeant,focum sabbatho instruant,cibos parent, & reliqua domestica munia sedulò exequantur. Quinetiã parasiti,qui de offa & ventre tantũmodo sunt soliciti,pre-

cibus

cibus & orationib.eorũ intersunt,calamitates,exiliumq́; eorum deplorant, quòd nimirum aditu ad repetendam charissimam patriam à nostris sint interclusi. Quasi verò nunquam hinc eiecti & exturbati sint,aut portæ & itinera latronibus infesta tutum transitum ipsis denegent. Quòd si magistratus legum rigorem obseruaret,& vltricem Domini voluntatem exequeretur,si non fustibus & flagellis nebulones profligaret, at certè sic ipsos tractaret,vt nostri consortij tædio alibi sibi domicilia comparare conarentur. Verùm,vt diximus,magistratus remissior,deserens officium ipsos non solùm defendit & tuetur, verùm & iam priuilegijs ornat; quorum patrocinio artes & imposturas suas commodius,tutiusq́ue exercere possint. Principes ipsis ceu familiarissimis officia & procurationes demandant: medicos sibi adhibent,& ad explorationes opera eorum vtuntur, quæ munia scitè admodum obeunt, animos principum hac ratione callidè demulcentes.

Intercessit viro nobili & potenti tanta cum Iudæis amicitia & consuetudo, vt grauissima ipsis committeret negotia. Vnum certè ad summos honores euehens superintendentis munere,quos vocant,ornauit. Cùm verò minister quidam non multò pòst obiret, cura alterum in locum eius sufficiendi superintẽdenti demandatur. Huic sedulò inuestiganti, obuiam fit vir diues & nobilis, quid rerum ageret,sciscitans? cui Iudęus, Superintendentis officio se fungi,& ministrũ quærere respondet, qui defuncto succedat. Miratus alter,ne id scitum est,inquit,quales sint principes,tales esse solere reliquos ciues. Nam cùm primùm eò amentiæ tales viri delabuntur, vt prudentum & doctorum virorum repudiato consilio pro libidine & arbitrio res suas administrent, tandem in adulatores & assentatores perniciosos incidũnt, qui,(vt est apud Comicum) Si aiunt,& ipsi aiunt,negant,negant, &c. Cùm enim & veritatem,& veritatis fidos propugnatores despiciant iustissimo Dei iudicio in reprobum sen-

ſum traditi, animum à ſerijs cogitationibus & vera religione ad inanes nugas & aniles fabulas transferunt & conuertunt. Quid de his magiſtratibus ſentiam, qui in Chriſtianos inhumani, erga Iudęos beneuolè affecti ſunt, non ſatis mihi conſtat. Vereor certè ne huius farinæ homines ſpiritu Iuliani Apoſtatæ ducantur. Nam qui Dei hoſtes infenſiſſimos amore proſequitur, eum impios pijs & Deo ipſi anteponere veriſimile eſt. Reiecti & exhæredati à Domino ſunt Thalmudiſtæ, hi acerrimos ipſorum ſe defenſores præſtant. Solo patrio ipſos expulit & deturbauit Dominus, hi eos reſtituere, aut ſaltem ſubleuare nituntur. Ira & furore ſuo ſcelera & flagitia eorum enormia Deus perſequitur, iſti contra omnia humanitatis officia ipſis exhibent. Dominus in omnes mundi plagas ipſos diſſipari & varijs calamitatibus conflictari & excogitari vult, at vero hi auro deprauati pacem & tranquillitatem ipſis concedunt. Dominus omnium gentium oculis & ludibrio ipſos obiectos & expoſitos eſſe vult, at hi ſummis eos augent honoribus, vt voluptuantes in luſu, otioque vitam noſtris hominibus longè quietiorem & tranquilliorem tranſigant. Incuſandi igitur acrius ſunt, & admonendi, ne eos, quos Dominus exploſos & repudiatos denunciat, extollere nitantur, eaque ratione infirmos offendant. Concilia certè quædam ab Epiſcopis Romanis conſcripta, eo tantùm fine omnem authoritatem Iudæis erogarunt, ne nimirum offenderetur proximus, qui paulò infirmior eſt, idcoq; anno 1339 iuſta conſtitutione Clementis omnem quæſtum & vſuram, quam fecerant, rependere coacti ſunt. Latæ autem quædam leges ſunt, quæ pro ipſis faciunt, cùm illos ferendos & tolerandos eſſe his conditionibus conſtituunt, ſi pacis ſtudioſi & amantes, in Chriſtum non ſint blaſphemi: ſi ſine religionis noſtræ fraude & incommodo nobiſcum viuant, & nemini iniquam accipiendo vſuram moleſti ſint. His grauis pœna, quæ tranſgreſſores manſura ſit, adiuncta eſt. Sed quo-

ties

ties hæc lex à Thalmudistis sit violata, non obscurum est. Nam in religionem nostram grauissimè quotidie debachantur: magistratui Christiano non solùm non debitum obsequium & reuerentiam præstant, verùm insuper etiam diris deuouent: fratres nostros fœneratione non premunt, sed deprimunt: proditiones & seditiones moliuntur: denique ea nobis parant, miscent & machinantur, quæ si effugerimus, maxima Deo omnipotenti habenda sit gratia, qui dolos & consilia ipsorum irrita fecerit. Hinc Imperatori Wenzelaus edicto quondam publico Iudæos iussit, vt pignora debitoribus, quibus se illis obstrinxerant, quamprimùm restituerent, etiamsi elocatam pecuniam non recepissent. Saluis legibus idem scitum & iussum nunc rogari & ferri posset, cum perfidia ipsorum luce meridiana clarior appareat. Tot enim horrendis conuitijs & blasphemijs Christum de solio suo (vt ita dicam) deturbare conantur, tot proditiones moliti sunt, tot opulentos viros ad inopiam redegerunt, vt id mœror & dolor summus me recensere prohibeat. In eorum igitur sententiam pedibus eo, qui ipsos ex finibus Christianorum imperij exterminandos censent. Quòd si pecuniæ fœnerandæ facultate præcisa, ad laborem adigerentur, aliquantò melius nobiscum ageretur. Nam propterea quod prospero & secundo rerum successu vtuntur, quodque ingentes diuitias corradunt in cæcitate, pertinacia, & mentis stupiditate confirmantur, certissimum diuinæ beneuolentiæ argumentum indicantes, quòd nostri penuria pressi, pecuniam ab ipsis vtendam accipere cogantur. Ecce enim, de scelere tanquam de virtute gloriantes, scitè & callidè res nostras administramus (inquiunt) per fraudem & calumniam horum canum bona ad nos pertrahimus, rapimusque. Deum ipsorum tanquam hominem consceleratissimum graui affecimus supplicio, religionem eorum vt horrendam Idololatriam detestamur & execramur, nihilominus nostri Dei beneficia etiam in exilio in-

ter ipsos viuentes otiosam, desidemque vitam colimus, &c. Martinus Huserus, Iohannes Kirmæus, Dyonisius Milandinus, Iohannes Limnicus, Iustus Widerus, Casparus Capellus, ~~Iohannes Pistorius~~, alijque verbi diuini ministri passim in Hassia degentes, anno 1539 libro publicato firmis rationibus & argumentis demonstrarunt, Iudæos indignos, vt nostris fruantur hospitijs, ad extremos, quod dicitur Indos, eijciendos & expellendos esse. Quòd si nihilominus ipsis hospitia præbere visum fuerit, à blasphemijs interdicendum: libros eorum horrendis conuitijs, contumelijsque refertos comburendos esse. Nam quandiu liber ille, quem *Thalmud* sua lingua vocant, integer conseruetur, de odio & conuitijs, quibus nos petunt nil vnquam ipsos remissuros, licet id mille sacramentis seu iuramentis, nulla habita conscientiæ ratione pernegent. Ad lectionem præterea noui & veteris Testamenti, ad audiendas conciones sacras, interpretationesque sacrorum librorum cogendos, à contractibus prohibendos, ad opera denique manuum adigendos, artibusque mechanicis instruendos esse, vt duro & aspero labore confecti tandem ad saniorem mentem redeant. Lutherus item in eo libro, quem contra Thalmudistas edidit, monet, Synagogas ipsorum destruendas, & rei familiaris cura administrationeque & extructione ædium ipsis interdicendum esse, vt nimirum more erronum in stabulis habitent. Libros eorum cremandos, à rostris & cathedris deturbandos esse Rabinos, ne impia doctrina miseram gentem seducant. Priuandos insuper omnibus pecunijs, à contractibus prohibendos: detrahendas illis omnes vestes magnificas & splendidas: denique ad arandam, fodiendam & excolendam terram ipsos esse impellendos. Sin conditionibus his nobiscum viuere renuant, ex finibus nostrarum regionum exigendos esse, quemadmodum etiam ex Gallia, Hispania, Bohemia, Venetijs, Silesia, Norimberga, Regenspurgo, Argentina, Basilea, & alijs locis profligati sunt. Hæc ~~prudentissimi sapientissi-~~

mique

mique viri D. Lutheri fuit sententia. Annexuit autem his grauem adhortationem, qua proposita caput hoc sum finiturus: Quòd si, inquiens, illustrissimi principes, & vos Euangelij præcones vigilantissimi, hoc meum consilium vobis visum fuerit non satis prudens & commodum, vos etiam atque etiam monitos volo, vt prudentius aliquod excogitetis, quò nimirum iugum illud à Sathana ceruicibus nostris impositum excutiamus, neque rei & participes fiamus mendaciorum, blasphemiarum, execrationumque, quas in Christum Iesum seruatorem nostrum & Mariam virginem matrem eius, in omnes denique sanctos ex fœdissimo suo palato eructant. Nolite quæso illis patrocinari, pecuniam ab ipsis mutuam ne accipite, ab omni eorum commercio & societate tanquam à peste & pernicie abstinete. Iam enim satis, superque onere peccatorum tanto premimur, cui ferendo non sumus. Caueamus igitur, ne ad hoc onus alius præterea cumulus accedat: cogitemusque nobis quotidie pugnandum esse cum Sathana, carne, Turca, Christiani nominis hostibus infensissimis, ita vt, seria pœnitentia & vitæ emendatione valdè opus sit. Hisce meam excusatam volo conscientiam: nam pluribus vos monere & hortari non opus habeo, &c. Si autem quis diligentius singula legere & cognoscere cupit, Lutheri libros consulat: nam si hîc singula referrem, plus iustò excresceret liber. Incredulo autem his fidem neganti, iudicem, vindicemq; constituo Christum Iesum, qui sibi non semper illudi patietur.

Ad quem vsum turriculam argenteam, quam quisque habet, conferant.
Cap. VII.

QVilibet ex opulentioribus turriculam argenteam habent, pauperiores pixide lignea, cynamomo, nuce muschata, garyophilis, alijsque aromatibus referta vtuntur, cuius operculum vbique perforatum sit. Inci-

piente igitur Sabbatho, præterlapsæ hebdomadæ valedicentes, sequentem summis votis & applausu excipiunt, atque vt fausta & fœlix sit, precantur, rogantes Deum, qui perpetuam victoriam contra *Gobim*, id est, impios & impuros Christianos (sic enim nos appellant) sibi concedat & largiatur. His ritè peractis turriculam illam manibus iactatam naribus admouent, suauissimum inde odorem percipientes, persuasi ita se gratos esse domino, quàm dulcis & suauis odor hic sit naribus, &c.

Formula execrationum, quibus mala nobis omnia imprecantur. Cap. VIII.

DOmine impios ipsis præfice, gladius, hostis & aduersarius ab eorum latere nunquam recedat: rem coram iudice agentes causa excidant: preces eorum in maledictionem conuertantur: dies illorum pauci sint & ærumnosi: regnum ipsorum occupet & possideat hostis: vagi & errabundi liberi illorum sibi domicilia quærant, spolientur opibus, hæreditatem ipsorum inuadant & diripiant peregrini: ab omnibus sint derelicti: nullus misericordiæ aliquo affectu erga ipsos tangatur: denique vt ros calore Solis liquescit & diffluit, sic nomen eorundem aboleatur & deleatur.

Qua gratulatione nostros ad se venientes excipiant. Cap. IX.

VErbis explicari nequit inimicitia & odium illud crudele, quod erga nos imo sub pectore repostum gerunt. Venientem ad se Christianum his verbis excipiunt, Schet wilkom, quæ vox Germanis auribus benè sonare videtur, reuera autem maledictio atrox est. Nam si eam interpreteris, hic sensus erit: Gulam tibi frangat Sathanas,

thanas, cuius nomine huc ingrediaris. Interim alter imprudens, summa se cum gratulatione excipi putans, gratias ob maledictionem nebulonibus agit. Quòd si aliquem prudentiorem, cautioremque esse animaduertunt, vocabulo illo Schet wilkom omisso, in aures aliquid vxorum & liberorum sese insusurrare simulantes, clàm hominem execrantur. Hoc autem odio propter Christum Iesum, cui nos vt vero Deo & homini diuinos honores tribuimus (cũ ipsi eum supra quàm dici possit, detestentur) nos prosequuntur. In hoc autem toti sunt, ex incommodis nostris sua vti comparent commoda. Cùm ergo Christianum aliquem suorum bonorum iacturam facere audiunt, gaudent, gestiunt & exultant, execrationem suam fœlicem existimantes nactum esse successum. Sperant interim se opibus nostris spoliaturos, nosque potestati subiecturos esse, &c.

Quibus artibus & disciplinis Iudæi filios suos instruant.
Cap. X.

A teneris filios suos ad nequitiam, dolos, fallacias & imposturas consuescunt, egregieq; instituunt, quomodo nimirum *Gohim*, id est, nos quos impios vocant, decipere & fraudare callidè possint. Chartarum, quas vocant, lusu crebro ad numerorum rationes percipiendum ipsos reddunt acutissimos, promptissimosque. Atque vt ad ludum fiant procliuiores, pecunias subministrant, sic vt pueri annos octo aut decem nati, sæpius tres quatuórue florenos ludendo perdant. Quibus verò res est domi angustior, illi pecunias datas pueris clàm subtrahunt, reddunt, & adeò callidè ludendo inter se committunt, vt interim filij ad summas variorum numerorum colligendas expeditissimi reddantur, & quid 9. 8. 7. 6. 5. 4. 2. 1. summatim faciant, confestim addere, vt vocant, possint.

Varias item numiſmatum ſpecies ipſis cognoſcendas æſtimandasque proponunt, tanto in Chriſtum odio incenſi, vt in rationum ſubductione nullam crucem, qua denarium numerum imperitiores notant, pingant, 7 hac nota illum numerum ſignificantes, quam ſi cum ſimpliciore, & incautiore rem habent, pro ſeptenario facilè delent. In numeratione præterea pecuniarū à primis annis ſe exercent, eiusque artis omnibus partibus tam perfecti & abſoluti magiſtri euadunt, quàm quiſquam pugil artis ſuæ peritus eſt. Quotidiano etiam vſu & tractatione pecuniarum in numerandis pecunijs, & ſubducendis rationibus adeò prodeunt exercitati, vt quemadmodum hyſtriones nuces muſchatas, & alia eius generis, ita ipſi pecunias occultare, ſubtrahere & diſſimulare poſſunt. Quòd ſi pecuniam alicui numerant, licet iuſta videatur: adulterina tamen ferè deprehenditur, & ſi quis ſummam repetat, ſemper aliquid deeſſe reperitur. Aſtutos autem & callidos non ſic tractant, ſed ſimpliciores duntaxat, qui etiamſi ſe deceptos querantur, illi contrà factum conſtanter negant, eosque apertè mendacij arguere non verentur. Quin etiam debitores ſuos præſtigijs, incantationibusq; ſuis ſic faſcinare ſolent, vt datam fidem propter acceptam pecuniam citius liberare non poſſint, quàm cenſus & vſura elocatæ pecuniæ ſummam excedat. Atque vt rem in pauca conferam, quicunque cum Iudæis rem habent, præſtigijs eorum eluſi, opibus ſuis fraudantur, &c.

Quòd Iudæi vino, lacte, carne, alijsque rebus nos defraudent.
Cap. XI.

PRætereà amicitiæ, beneuolentiæq; erga nos egregia indicia in hoc apparēt, quòd vinum nobiſcum bibere dedignantur, eò quòd paſſim in Papatu S. Iohannis, (quā vocant, benedictionē) parte quadā ſanctificata reliquum perfunditur. Legem enim ſancitam & conſtitutam eſſe.

affir-

affirmant, quæ præcipiat illud tantũ vinum vſui Iudæis eſſe debere, quod primarium ex torculari exprimitur. Ergo hi calumniatores ſelecta organa Sathanæ, quorum præſtigijs mens & ratio ita nobis perturbatur, vt impoſturas & blaſphemias perſentiſcere non valeamus: nudi, inopes, & egeni artib. ſuis noſtris nos opibus exuunt, easq; in ſuam rem conuertunt. Eò enim res rediјt, vt lacte cum adipe & pinguedine, quod dicitur, ipſi veſcantur, nos ſero vtamur: carnes opimas ipſi comedunt, vt abortiuos & decrepitos boues nos ad vſum noſtrũ conferre cogamur. Nam ab eſu poſteriorum animalis abhorrent, quas vrina, ſputo, & ſter core fœdatas & conſpurcatas nobis diuendunt. Nónne igitur aſſiduis lacrymis & luctu deplorandus eſt noſtrorũ hominum ſtatus, qui Chriſtiano cùm inſigniantur nomine, hos periuros & blaſphemos nebulones ferre, & carnibus illis cõſpurcatis, à quibus ipſi tanquam à veneno præſentiſſimo nauſeam & faſtidium habent, veſci coguntur? Sed Dominus ſceleris huius pœnam & mulctam à magiſtratibus, penes quos ſumma mali eſt, repoſcet & repetet, quandoquidem pro ſua potentia nebulones hos non coercent. Thalmudiſta cum Chriſtiano ceruiſiam hauriens (hoc enim legibus facere licet) ſatur, bibere ſe ſimulans, os totum ſputo & ceruiſia replet, idq; in cantharum demittit, vt ſi non veneno, ſaltem ſputo ſuo combibonem inficiat. Adeò acerbum eorum erga nos eſt odium.

Iudæos exploratores & proditores eſſe. *Caput XII.*

Hæc igitur Draconis antiqui ſoboles, parenti ſuo morigera ad explorationes & proditiones ſedula eſt ad excogitandas varias artes, quibus miſera à principibus vexetur & excrucietur plebecula; acuta, ſingula inquirit, indagat, inueſtigat, explorat, neq; in ædes alienas aliquando irrumpere veretur, vendibile aliquid offerens, eo tantum animo, vt domo abiens aliquid ſecum auferat, vel

noui quid percipiat, quod vt ad magiſtratum deferatur, dignum ſit. Nouarum enim rerum eſt percupida, vtpote quę falſos rumores veris miſcendo & ſpargendo gratiam & beneuolentiam principum aucupatur. Hanc vbi aſſecuta eſt blandis donis & munuſculis perpetuò ſibi deuincit, &cæt.

Iudæos magos & incantatores eſſe.
Caput XIII.

RAbini qui ipſis præſunt, ſuis artibus & incantationibus Sathanam adigunt, qui lapideum ligneumúe idolum ipſis afferat, cuius virtute principum animos ita faſcinare norunt, vt petentibus nil denegare aut recuſare poſſint. Præterea magnam auri vim principibus egenis eius opera ab opulentis viris commodatò accipientes, impunitatem hinc omnium ſcelerum flagitiorumq; aſſequuntur. Hinc etiam ſine fraude & periculi metu pecunijs nos emungunt, falſas monetas cudunt, probasque adulterant. Nam Sathanas protector & patronus illorum vigilantiſſimus nil contra ipſos mali in hoc ſeculo machinatur. Non ergo mirum nobis videatur, ſi etiam iniquiſſimas iniuſtiſſimasq; cauſas obtineant.

Quibus agris, quoúe aratro Iudæi ſeſe ſuſtentent.
Caput XIIII.

LAndonienſis ruſticus rudis & literarum ignarus, cùm magno premeretur ære alieno, centum florenos à Thalmudiſta vtendos accepit, ſyngrapham à notario publico ſcriptam, ſuoque ſigillo conſignatam fœneratori dans, quæ fidem rei faceret. Impurus autem & ſceleratus nebulo, ceram, cui ſigillum impreſſum erat, aptè ex prima ſyngrapha in aliam falſam transfert, pecuniasq; reſtituenti ruſtico, & nihil mali ſuſpicanti primam ſyngraphã reddit

dit maculatam & laceram, qui eam confestim dissipat. Cùm igitur rusticus vita functus esset, pecuniam eam ab hæredibus repetit, & oblata syngrapha voto potitur, magnaque pecunia miseros defraudat. Alius præterea rusticus à domino suo ad solutionem æris alieni coactus, quadraginta florenos à Iudæo mutuos petit, qui his conditionibus petitioni eius annuit, si prius pecuniam se accepisse publicè apud Notarium profiteretur. Incautus ille & doli ignarus hanc se pecuniam accepisse affirmat; domum deinde à Iudæo deductus, decem tantùm florenos accipit, reliquos enim post octiduum se illi daturum vsurarius recipit. Reuertenti verò aliquoties misero præsentia magistri à famulis dissimulatur, donec tandem iniuria hac commotus impostorem ad iudicem defert: qui vocatus factum constanter negat, & rusticum apertè mendacij periurijq; arguit, vtpote qui pecuniam se accepisse publicè sit testatus. Caussa igitur miser cadit, & Iudæo quadraginta florenos restituere cogitur.

Item, bonus quidam ciuis necessitate pressus, ducentos florenos à Iudæo vtendos petit, qui his conditionibus pecuniam se illi commodaturum pollicetur, si chirographo & summam elocatam, & vsuram, quæ inde prodiret, se vtendam accepisse testificaretur. Timenti bono viro insidias & conditiones has reijcienti Thalmudista, siquidem, inquit, tantam pecuniam tuæ ego committo fidei: tu verò mihi diffidis, abi & alibi tibi prospicito. Alter igitur necessitate coactus pecuniam istam pro nutu & arbitrio Iudæi accipit, & elapso biennio treecentos decem & sex florenos pro ducentis florenis restituere cogitur. Cùm enim lis & controuersia hæc ad iudicem defertur, caussam Thalmudista obtinuit. Non enim infantem fuisse ciuem, qui quid ageret esset ignarus, prætendebatur. Auro proculdubio iudex corruptus fuit: nam alioqui confessionem ex scelerato Iudæo tormentis expressisset. Hinc ergo, qualis authoritati & iuramentis ipsorum adhibenda sit fides, apparet.

Clam etiam diuitum filios irretire & illaqueare solent, pecunias elocando eos sibi obligantes, quas post obitum parentum (centum nimirum florenos pro decem elocatis) restituere debeant. Ab his igitur scelerum patronis incauti adolescentes seducti, rarò ad meliorem frugem se recipiunt: nam in dies magis magisque ad nequitiam callum obducunt, &c.

Caput XV.

HAEc ergo impia & obstinata gens explorationibus proditionibusque sese familiaritati potentium virorum insinuat, quorum beneuolentiam cùm primùm sibi conciliarit, operam diligenter nauat, vt officijs aliquibus & muneribus ornetur, quæ adeò sedulò obit, vt reliqui ministri negligentiæ arguantur, suisque muneribus priuentur, quibus deinde perniciosi hi assentatores sufficiuntur. Nam si officiales aut œconomos agunt, multò minori precio singula, quæ ad aulicorum hominum victum cultumq; necessaria sunt, se comparare simulant quàm reliqui ministri, pecuniæ suæ, quam callidè supponunt, iacturam facientes. Hac enim ratione animos principum deliniunt, seque frugi homines esse persuadent. Ad hæc permutationes pecuniarũ ita principum nomine tractãt & administrãt, vt nullius doli & fallaciȩ argui possint, proprio sæpius damno & incommodo pecunia permutata, ex qua quȩstus vberrimus ad principes redeat. Interim verò miseros ciues sic exercent, vt iacturam lucro vberiore resarciant. Cùm ergo his artibus bene de principibus mereantur, quis eos impunitatem omnium scelerum & flagitiorum consequi miretur?

Caput

In exitium Christianorum Thalmudistas fouere.
Caput X V I.

PRogenies igitur hæc viperarum in ruinam & perniciem Christianę ecclesiæ, in interitum & exitium pauperũ nata est, alitur & sustentatur. Dominus seculi huius nouissimi in præceps ruentis misereatur, in quo Sathanas quasi nebula & larua obductus, omnis generis scelera & flagitia per organa sua propagat. Sed penes quem summa mali culpa est, in eius etiam caput pœna sceleris recidet. Notum enim illud est: Quid Christo cum Belial? &c.

Caput X V I I.

DOminus Iudæos in omnes mundi plagas dissipauit & dispersit, & ceremonijs legis Mosaicæ obliteratis, alium sui cultus ritum præscripsit, quo nimirum per Christum Iesum filium vnigenitum coli & adorari vult. Quoniam igitur Christo reiecto à vero & genuino Dei cultu ad falsum & adulterinum defecerunt, proque suo iudicio & mentis opinione alienum colendi Dei ritum commenti sunt, traditi in reprobum sensum, pristinaq; libertate exuti, iugo seruitutis colla submittere coacti sunt. Si ergo pecunia corrupti pro libidine vitam traducendi ijs potestatem facimus, impuneque quouis atrocissimo scelere & flagitio sese polluere patimur, voluntatem & verbum Domini, quantum in nobis situm est, irritum facimus, quòd ad infima abiectissimaque seruitia ipsos cogi vult. Sanè quidem cum diuitijs eos affluentes vitam otiosè transigere sinimus, non solùm præceptum Domini antiquissimum violamus, quòd assiduis laboribus victum comparandum esse præcepit, verumetiam religionem nostram horrendis conuitijs lacerandam his sacrilegis obijcimus.

Caput XVIII.

QVanquam igitur ſcriptum ſit, has Iudæorum reliquias vſque ad Chriſti aduentum glorioſum ſuperſtites manſuras, nuſquam tamen legitur, quòd diras & horrendas blaſphemias, quibus Chriſtum petunt, impunè auferre debeant. Coercenda igitur eſt hæc effrenata libido, & omnes facultates è manibus ipſis extorquendæ ſunt, ne nimirum faſtu elati vel ipſos principes in Comitijs Imperialibus arreſtare, vt vocant, auderent, quod ſæpius ab ipſis factum eſſe conſtat. Chriſtianos ergo principes etiam atque etiam per Chriſtum Ieſum monitos & rogatos velim, vt his Thalmudiſtarum enormibus ſceleribus & flagitijs perpenſis tandem aliquando quid ſui ſit officij cogitent, atque offendiculis his ſublatis regnum Sathanæ deſtruant, vt in omnibus & per omnia laudetur & glorificetur nomen Domini, Amen.

FINIS.

ERRATA ſic corrigito.

Primus numerus paginam, ſecundus lineam ſignificat.

1, 7. debebant. 2, 7. Triphuni. 3, 34. pro Chriſto. 5, 5. truncos & 6, 7. ſit. 7, 14. ſimilitudinem, & 19, errorumq́. 12, 4. ſit. 15, 25. charta me. 16, 1. blaſphemias, 17, 11. ne præſent. 20, 17. duci, 32. dierum. 21, 17. ouantes. 22, 2. nobis. 24, 7. hi, & 27. auerſantium. 25, 36. diuitias. 26, 18. inuaſit. & 29. nobile. 30, 14. deſeremur. 31, 3. deprauatis. 32, 32. eo. 36, 21. nobis ami. 42, 26. ſunt. 43, 17. firmumque. 44, 14. conuiuentur, & 21, leuiuſculi. 24. non vib. 46, 11. deſunt. 47, 25. verè. 48, 11. redemerunt. 52, 28. deberent. 53, 12. etiam. 55, 10. imperator, 11. Iudæis, 19. mœror & dolor, 28. iudicantes, 36. beneficio. 61, 9. comedant, vt dele.

31 —

[illegible]